


AB

W5212

Tom. 26.
27.
28.


00 Silber

L1100H.



113,
L.O. ~~29~~, 4.





Johannes Geuff
Sieder

B. W.

MERCURII GALLO-BELGICI
M. GOTHARDO ARTHUSTIO SUC-
CENTURIATI,

Sive

RERVM IN

GALLIA ET BELGIO PO-

TISSIMUM, HISPANIA QUOQUE,

ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, UNGARIA,

Silesia, vicinisq; locis, à nundinis Francofurtensibus au-

tumnalibus anni 1646. usq; ad vernaes anni 1647.

potissimum gestarum,

HISTORICÆ NARRATIONIS

continuata,

TOMI VIGESIMI SEXTI

LIBER SECUNDUS,

Auctore

JOANNE GEORGIO SCHLEDERO, Ratisponensi.

Cum S. Cæs. Majest. Privilegio Speciali.




FRANCOFURTI,

Sumptibus & typis Hæredum Sigismundi Latomi, Anno 1647.

Handwritten text, possibly a title or page number, located at the top of the page. The text is faint and difficult to decipher.

L 213





MERCVRII GALLO
 BELGICI M. GOTHAR-
 DO ARTHUSIO SUC-
 CENTURIATI,

TOMI XXVI. LIBER II.

*ÆORUM, QUÆ à NUNDI-
 nis Francofurtensibus autumnalibus annis
 1646. usq; ad vernaes anni 1647. memo-
 ratu digna passim acciderunt,
 narrationem conti-
 nens.*



Andide ac benevole Lector; Septembri
 Quandoquidem ex defectu Anno
 sufficientis informationis, de 1646.
 principio, pro- & egressu ob-
 fidionis Rainæ ad Lycum, in

*Raina per
 Suecos op-
 & expul-
 gnata.*

præsenti hoc mense Septembri factæ, juxta
 ductum paginae 118. & 129. libri primi
 præcedentis, tunc temporis certi nihil re-
 ferre potuimus, jam verò fide dignas rei
 hujus circumstantias ad manus habemus,
 æquum ac historiæ nostræ conveniens du-
 ximus, ex præsentirem omnem, prout ge-
 sta est, enarrare, atque per hoc ipsum libro

A 2 huic

Septemb
Anno
1646.

huic secundo initium facere. Tenendum itaque primum est, conjunctos Suecorum Gallorumque exercitus prima Septembris motis Niedenavia castris, secunda ejusdem Hallam Suevorum appropinquasse, ibique rem tormentariam reparandam curasse. Septima Aldmansfeldiam, octava Elwangiam, nona demum Nordlingam appulerunt, ubi cum integrum triduum quieti dedissent, ob recipiendum aliquod in urbem praesidium transactionem inierunt, cujus curam Bulavius tribunus egit, Kettlerum & Wanckium cum legionibus suis Dinckelspilæ, ad subjiciendum contributionibus superiorem Palatinatum, à tergo relinquentes.

Duodecima Septembris Donavverdam venerunt, cujus inspectio Colonello Haslangio demandata erat, sed quam ille, nunciato hostis adventu, deseruit, ubi pontem Danubii à Bavaricis exustum & devastatum restaurarunt, trajectoque Rainam versus fluvio, pontem, quo ad Oberndorfium (cujus arx unà cum domibus Wallersteinio & Spilberga deditioem pactæ:) Lycus stratus erat, non attento quod ad hoc impediendum gravi tormentorum boatu Rainenses effulminarent, integritati suæ restituerunt. Hoc itaq; feliciter per-
acto,

acto, pedites 14. Sept. pontem permeare Septemb
 jussos, equites Ductore Generali Königs- Anno
 marcio per vadum aliquod, supra Rainam 1646.
 repertum, ubi antehac gloriosissimus Sue-
 ciæ Rex transitum fecit, ablegarunt, obfi-
 dioni Rainæ (quæ eo tempore ultra septin-
 gentos sagittarios, rusticos circiter sexcen-
 tos, milites verò conscriptos propè 150.
 in præsidio habebat:) initium daturus.
 Decima sexta Septembris civitas globis
 candentibus infestata, aliquotque domus
 Vulcano sacratæ sunt. Decima septima
 Turrainius Marefcalcus adveniens oppi-
 dum ex altero latere adortus est, quod in
 21. usque perduravit, cujus loci Gubernator,
 Pro-tribunus Sibertus à Beck, dictus
 Gyphshornius, milite conscripto destitu-
 tus, & sagittariis unà cum milite provin-
 ciali officia sua detrectantibus, post ma-
 sculam dierum propugnationem, tandem
 in subsequenter capitulationem consen-
 sit, & abitum adornavit.

Articulos transactionis, inter Regiæ *Transactio*
 Majestatis Sueciæ Campi-Marefcalcum, *desuper con-*
 Illustrem Dominum, Dominum Caro- *fecta.*
 lum Gustavum Wrangelium, Dominum
 in Skag & Rastor, &c. & Serenissimi Ele-
 ctoris Baviariæ Gubernatorem manimenti
 Rainensis, Dominum Sibertum à Beck,

A 3

Gyphs-

Septemb
Anno
1646.

Gyphshornium dictum, Legionis Lux-
dorfiænæ Pro-tribunum, conclusos quod
concernit, ii in sequenti tenore confi-
stunt:

*Primò, Dux presidij cum omnibus Officia-
riis, superioribus & inferioribus, omnibusque
tam conscriptis militibus quàm sclopetariis &
machinatoribus, qui Serenissimi Domini E-
lectoris ministerio obstricti sunt, cum omni
supellectile sua, famulis, equis, curribus, uxo-
ribus, liberis, omnibusque impedimentis suis,
sub signis expansis, tympanis resonantibus, fu-
niculis incensis, bombardis oneratis, crastino
Saturni, 12. 22. Septembr. octava antemeri-
diana, abeant; quos securos & immunes Ingol-
stadium usque, bidui spatio, videlicet crastino
Saturni, & subsequenti Solis die, 13. 23. hu-
jus miles Suecicus conducat atque sistat: sed
tamen vigiliarum Magistrum pro obside post
se relinquunt, qui tantisper commorator, dum
conducentes ad exercitum reversi fuerint, quo
facto cum literis salvi conductus, adjuncto-
que tympanotriba ad eos Ingolstadium dimit-
titor.*

*II. Tormenta omnia, arma residua, pul-
verem tormentarium, globos, & quæ porro ad
rem tormentariam attinent, unà cum omni
commeatu Commendator justè significato, iis-
que Officiariis, qui ob id ad eum amàdati fue-
runt,*

vint; sub pœna retractanda & infirmanda Septemb
 transactionis, ostendito & exhibeto, nec quem- Anno
 quam occultito, nec quid reticeto, nec quid re- 1646.
 moveto, vel supposito igne utitor.

III. Quoad egrotantes & vulneratos,
 Campi-Marescalli Excellentia pollicetur fa-
 cturam, ut illasi Ingolstadium pervenire pos-
 sint.

IV. Clerici, cum curribus, quos proprios
 habent, tum etiam saltuarius & scriba judi-
 cij, quilibet cum curru suo proprio, abdu-
 ctum uxores, liberos, mobilia, poterunt secu-
 ri Ingolstadium pedem proferre: quò etiam
 Pro-tribuni à Liechtenavia, currus, equi,
 & que ad eum spectant, liberè educuntor;
 sed tamen Præfectus vulgò **der Pfleger** **ver-**
walter! Saltuarius seu Magister foresti, &
 Notarius Iudicij, ratioe inia sua & documen-
 ta literaria bonorum & districtus ipsorum cu-
 ra demandati, candidè exhibeant.

V. Si verò uni aut alteri Ecclesiastico-
 rum Raine commorari libuerit, ii non
 minus ac Moniales Schönfeldenses, cum mi-
 nistris suis utriusque sexus, in exercitio Re-
 ligionis Catholicæ & Ecclesiis suis minimè per-
 turbantor: iis verò, quib. perseverare displicet,
 ad emigrandum, quò volunt, literæ usitate de-
 cernuntor.

VI. Cives & incolæ ceteri in civitate per-
 manen-

A 4

manen-

Septemb
Anno
1646.

manento : Consul quoque & Senatus Com-
munitasque universa, quo ad religionem, pri-
vilegia, libertates, bona, commercia, agros,
& quæ ad ea referuntur, in protectione
sunt.

VII. Adhæc provinciales, qui securita-
tis gratia in civitatem sese contulerunt, ordi-
nis tam eminentioris quàm inferioris, omnes
Officiarij, agricolæ, istuc loci quò asscripti fuere,
& qui abitum parare volunt, vel ad rem fa-
miliarem procurandam, vel ut dehinc officiis
suis præsent, cum uxoribus, liberis & mobili-
bus suis, nunc prout tunc literis salvi condu-
ctus communiti proteguntur.

II X. E contra, Præsidiij Ephorus, simulac
capitula hæc ad manus ipsius perlata fuerint,
munitiones exteriores, cum locis adjunctis ce-
dito; ast portas interiores, murosque nocte
hæc, usque ad abitum, pro se suisque obti-
nere.

IX. Milites omnes, qui antehac sub Re-
gia Majestate coronaque Suecia officia præ-
stiterunt, & vel capti fuerunt, vel belli mini-
sterium obierunt, Ephorus tenetor indicare &
eradere.

X. Et ut puncta hujus transactionis omnia
secundum tenorem literarium inviolata, fir-
miterque absque difficultate serventur, pro
majori certitudine in duplo expedita sunt, cu-
jus

*ius utraque pars exemplar unum habeto, quæ Septemb
 propriis ipsorum manibus subscripserunt & si- Anno
 gillarunt. Actum ad Rainam, 11. 21. Se- 1646.
 ptembris anno 1646.*

L.S.

Carolus Gustavus Wrangelius.

L.S.

Sibertus à Beck dictus Gyphshorn.

Facto abitu (ceu ex primaria castrorum
 Suecicorum ad Augustam statione, sub da-
 to 1. 11. Octobris transcriptum accepi-
 mus:) in Raina reperta sunt tormenta ma-
 jora novem, vulgò dimidiatæ Carthunæ
 dicta, 16. crocodili, machinæque fulmina-
 les aliæ, mortarium unum, quod 100. a-
 liud quod 70. librarum lapides ejaculatur:
 duo currus trabeati: 8. currus pro vehendis
 globis: 800. sphæræ pro Carthunis dimi-
 diis: 2550. globi pro machinis fulminali-
 bus: 252. globi pulvere igniario impleti,
 quos Granatas vocant: 56. pilæ incendia-
 riæ: 500. Granatæ terrestres: 399 sclopeta:
 200. hastæ longiores: multum sulphuris
 & salis petrae, ac plurima instrumenta ad
 rem pyrobolariam pertinentia. 150. Cen-
 tenarii pulveris tormentarii, totidem
 plumbi, 200. Centenarii funiculorum in-
 cendiariorum: 60000. sphærulæ bombar-
 dariæ: & in domo annonaria 5840. mo-
 duli

A 5

duli

Septemb duli secalis : 2400. moduli tritici : 192.
 Anno moduli avenæ : 81. onera seu modii salis, &
 1646. 11396. libræ panis. Posthac Donawerdæ
 Tribunus Jurgassius, Rainæ autem Tribu-
 nus Steinbeckerus, defendendæ præposi-
 tus fuit. Rusticis, cum ad horæ unius qua-
 drantem Raina digressi essent, vexilla, ar-
 maque superiora & inferiora adempta, cæ-
 teris relicta: qui securi Ingolstadium dedu-
 cti fuerunt.

*Damna per
 Königsmar-
 cianos si-
 militer illa-
 ta.*

Hac occupatione occupato exercitu,
 Königsmarcus partem equitatus sortitus,
 viam Ingolstadium versus legit, & ab ex-
 ploratoribus certior factus, duo millia Ba-
 varicorum equitum, peditum ac dimacha-
 rum eò loci trajecisse, ad eos exquirendos
 iter direxit, nullus desistens, donec in 800.
 eorum, quæ equites quæ pedites, ductore
 tribuno Kreuzio & Kolbio Juniore ad
 Pfaffenhofium, 2. milliaribus Ingolstadio
 distitum, incidisset, ex quibus, præter eos,
 quos in loco pugnæ ad navem Charontis
 ablegavit, unum Pro-tribunum, 1. magi-
 strum equitum, 3. Centuriones, aliquot
 Locumtenentes & signiferos equestres,
 cum 162. gregariis, captivos secum abdu-
 xit.

*Augusta
 imperita*

Posthac obsidio Augustæ Vindelico-
 rum incepta est, cujus jam descriptionem
 secun-

secundum circumstantias suas, prout à 1. Septemb'
 11. Septembris usque in 13. Octobr. even- Anno
 nerunt, exhibebimus, eo quo sequitur mo- 1646.
 do.

*hostilitates
 reprimat.*

Postquam uterque Confœderatorum exercitus Hochstadii & Lauingæ magnis phalangibus Danubium transgressus esset, Serenissimus Bavariæ Elector Io. hujus ad omnes districtus, monasteria & colonorum Præfectos, ut devastarent molendina, usque ad Isaram, sisterent equos bello aptos, & si quid boni in provincia, Ingolstadtium, Augustam, Rainam & Monachium conveherent, vel trans Isaram custodiendum asportarent, mandata evulgavit. Evenit ergò ut sequenti 1. 11. Sept, supremus excubiarum Magister Truckmüllerus (ut dicunt:) Donavverdam dereliquerit, quâ die pōtes omnes ad Lycum amnem incendio sublatis fuerunt. Secundâ, 12. Donavverda & mons adjacens (qui à nolis nomen adeptus, vulgò *der Scheelenberg* dicitur:) à Suecis milite firmati, & pons supra Danubium restauratus. Deinde 3. 13. Raina, egregium munimentum, à copiis circumlata fuit, quam loci Præfectus, postquam octiduum impetum sustinuerat, acceptis conditionibus hosti cessit,
 cujus

Septemb
Anno
1646.

cujus enarratio in principio libri præsentis adposita est.

Præfato 3. 13. hujus, ex legione Sporckiana equestri duæ cohortes, 170. milites continentes, sub ductu Domini Gerhardi Erdlomanni vigiliarum Magistri, Augustam Vindelicorum veniebant, mandatum ab Electore adferentes, ut in quantum possibile foret, defensionem præpararent, quod grave & difficile ipsis visum. Medio interjecto tempore Suecicus Assistentiæ Consiliarius Dominus Alexander Erskenius civitatem ingressus, animum habebat, eam sese per amicabilem aliquam compositionem Suecorum potestati subiecturum. At cum durante negotio 7. 17. Sept. Protribunus legionis equestris Würtembergicæ, Dn. Johannes Pissingerus, unà cum Electoris Commissario, Camerario & Consiliario bellico, Domino Maximiliano à Sigershofen, cum suis, non citrà periculum istuc deductis phalangibus ad 400. equites & dimachas æstimatis ingressus, prolatis Cæsaris & Electoris mandatis, amplius subsidium & eliberationem indubitam promitteret, per Dominum à Sigershofen, Ephorus præsidii constitutus & acceptus esset, eà statim die impræsentiarum, de quo ante dictum, Consilarii Sue-

Suecici, in confœderatorum turmas, ad O-berhusium hostiliter agentes, excursum fecit, iisque profligatis, præter illos, qui mortem passi 36. equites captivos abduxit, plures quoque machinas in propugnacula extrahi, eosque in confœderatos exonerari iussit. Id quod causa fuit, ut assistentiæ Consiliarius re infecta ad suos reversus fuerit. Ubi porrò 8. 18. Septēb. Crucius & Kolbius Junior Chiliarchæ (postquam inter Pfaffenhofium & Schrobenuhium, ut antèrelatum extat, aliquam eos jacturam facere oportuit:) 450. equitibus præsidarios erecturi, civitatem ingressi sunt, qua die cives Catholici armis instructi, & novus militum delectus institutus est.

Septemb
Anno
1646.

Quia ergò 10. 20. & 11. 21. Sept. de emissis Suecorum, Gallorumque cohortibus, intra aliquot horarum à civitate spatium, nihil exploratum habebant, 12. 22. sub diluculo circiter 400. currus, fœnum, frumenta, & id genus alia, comportaturi, magna stipati catervâ, emissi sunt: sed quod inauspicatum ipsis accidit, siquidem brevi post, & quidem vertente octava antemeridiana, propemodùm 2000. equites Suecici cum tormentis quibusdam campestribus, urbem prætereuntes, peditatus illius vestigia legerunt, equosque mille, & quod
excur-

Septemb excurrit, occuparunt. Quamvis enim in si-
Anno gnum vertendi itineris aliquot ex civitate
1646. machinæ explosæ, res tamen nimis tardè
 acta, propositum Ephori fefellit, & Sue-
 cicæ ille phalanges, sole præcipitante, ver-
 sus Iglingium & Landsbergam profectæ,
 loca ea dispoliarunt, & immani præda di-
 vites ad suos rediére. Die 15. 25. Septemb.
 ante meridiem pars equitatus Suecici &
 Gallici sub ductu Præfecti militiæ Wrangeli à Danubio ascendens Gõgingiam op-
 pidum circumfidere satagebat, quos in ve-
 speram usque universus exercitus secutus,
 Augustam vindelicorum Coronâ circum-
 dabat. Sed eo susque deque habito, adulta
 nocte Chiliarcha Franciscus Royerus, cum
 350. dimachis, civitatem irrumpebat. Ideò
 Suecici, postquam illicò pro adaptandis
 tormentis, aggerem conjecerant, 16. 26.
 Sept. 4. majoribus è Lechhusio propugna-
 culum, quod à pustulis nomen habet, au-
 ditque vulgò die *Blatter. Paster* / pariter
 etiam, quæ adjacet, turrim, vibrabant, ex
 quibus tamen graviter iis occursum fuit.
 Mascula ergò hæc obsessorum defensio
 causa fuit, ut confœderati 17. 27. Septemb.
 indè in latus Suevicum, per pontem, quem
 Haustadii posuerant, recesserint, interim
 autem aqua apud defluxum aliò dimota,
 moli-

molituram in totum stiterunt. Sub vespe- Septemb
 ra pars equitum in Oberhusium irruptio- Anno
 nem faciebat, quos non temnenda pars pe- 1646.
 ditatus sequebatur: ex civitate autem adeò
 in pagum tormenta intonabant, ut pedem
 retrahere, & in campo considerare eos oportu-
 erit. Ingruente nocte obsidentes ab O-
 berhusio usque ad telonium ad portam
 Werthaburgicam, ex lignis & asseribus
 opus aliquod, ad impediendum in castra
 prospectum, fabrefaciebant, inducta quo-
 que usque ad telonium fossa transitoria,
 sed quæ sublequenti 28. Sept. ex tormen-
 tis subruta fuere. Sabbathi, ipso festo Mi-
 chaelis Archangeli, 19. 29. Septemb. obsi-
 dentes ad portam Werthæ aggerem tol-
 lebant, viam altam & latus urbem versus,
 tribulis sternebant, fossasque cursorias du-
 cebant; ubi inclinante die sacellum S.
 V Volfgangi, & quæ ei vicina sunt, lepro-
 forium & rubrum molendinum, flammis
 extincta sunt. Obsidentes, post veteres
 munitiones ejus loci recedentes, 20. 30.
 Septemb. ex quodam juxta telonium ad-
 sistendas machinas extructo colle incipie-
 bant propugnaculum, quod furni no-
 men gerit, & turrim V Werthabruggen-
 sem, graviter quassabant, quos contra
 non minora præsidarii fulmina exspira-
 rant,

Septemb rant, postea appropinquante vespera mo-
 & lettrina ad Werthabrugensem portam ab
 October. obsessis in cineres redacta fuit.

Anno
 1646.

Die 21. Sept. 1. Octobr. ex utraque par-
 te, dominante Aolo, displodendo cessa-
 tum. Interea per obsessores ordinatum, ut
 pro muralibus machinis colliculus ex mu-
 nitionibus ad sanctum VVolfgangum re-
 siduis congereretur, quo facto altero sta-
 tim die in furnum & VVerthabrugensem
 turrim, ex 9. machinis concertatum fuit,
 præfidiariis ex diversis locis magno ausu
 contranitentibus, qui molam Lycanam,
 molam montanam, & molam ferrariam
 subiectis flammis vento commiserunt. Ob-
 sidentes autem vallum è regione portæ Ja-
 cobinæ excitarunt, quâ die publicè procla-
 matum, cives Evangelici dehinc circa
 quintam vespertinam domi se contineant,
 & circa septimam matutinam domo ne ex-
 eant. Studiosi circiter quinquaginta, qui-
 bus Martia virtus præcordia firmaverat, E-
 phoro Royero ad defendendam civitatem
 officia deferebant, quos armis instructos
 in diversa loca mandavit. Die 3. Octobr.
 ante meridiem usque in 12. ex 18. machi-
 nis in turrim Klenckerinam & murum pro-
 ximum, & ex 6. in turrim VVerthabrug-
 gensem & furnum sævitum, Post meridiem
 Lech-

Lechhusium quibusdam locis inflamma-
 tum, & globi igniarum, lapidesque nocte
 dieque in urbem coniecti fuere. Negotio
 fervente 4. Octobr. accessit, quâ hostes ci-
 vitati per tubicinem deditioem impera-
 runt, addita comminatione, ni pareat, eam
 in cineres redactum iri. Quibus Royero
 renunciari iussit: moliantur, quid possint,
 civitatem sese nullo modo traditurum: sin
 vero ejaculato igne vis intentaretur, nun-
 quam non duas vel tres domos acatholi-
 corum, quàm vel unam Catholicorum in
 periculum venturas. Die 5. Octobr. sexta
 antemeridiana propugnaculum Judæo-
 rum, turrim Klenckerinam & furnum ex
 II. tormentis denuò gravissimè torserunt:
 quo procedente sulcos cursorios usque ad
 fossam mœnium inter influxum & turrim
 Klenckerinam protraxerunt, ibi gerras
 suas collocantes. In gravescente nocte, no-
 nam circiter domus quædam ad portam
 Klenckerinam ex injecto globo nitrato aë-
 ra petiit, ingensque Vulcanus in urbem
 projectus: è contrario ab obsessis vasta glo-
 borum tempestate obsidentibus insulta-
 tum fuit. Sexta Octobris, denuò, at non
 ita efflictim muri verberati, vesperitamen
 inter 5. & 6. circa furnum majori ardore
 quàm usquam antea, ex machinis certa-
 tum

Septemb'
 &
 October!
 Anno
 1646.

B

tum

Septemb
&
October.
Anno
1646.

tum fuit : ubi perquam vehemens confli-
ctus exortus. Sunt & illa die ab obsidenti-
bus à Göginga Lycum versus pali ustulati
terræ infixi, & cuniculus ad portam Klen-
ckerinam reclusus, in quo obsessi quosdam
neci dederunt, & qui adhuc in eo recon-
diti, eos fumo flammâque enecarunt. Se-
ptima Octobr. à priori vehementia aliquid
remissum, at nocte subsecuta exteriorem
munitionem ad portam VVerthabrug-
gensem omni opere oppugnarunt, simili-
ter & illam, ad portam S. Jacobi tentarunt,
quod tamen utrinque absque damno de-
fiit. Octava Octobr. ex duabus muralibus
tota die contra turrinam Klenckerinam dis-
plosum, & per obseffores munitio ad pon-
tem Lyci coacervata fuit. Nona Octobr.
propugnaculum Judæorum, VVertha-
bruggensis porta, & turris Klenckerina
tota die magno saxorum globorumque
imbre excruciatâ. Instante quarta, de qua
sæpius dictum, munitio ad portam VVer-
thabruggensis pergraviter oppugnata, &
ab obseffis quædam ante suburbium D. Ja-
cobi sita ædificia igne deleta sunt. Decima
Octobris ante meridiem propugnaculum
Judæorum iterum ex 5. fulminalibus ve-
hementer quassatum, & eadem die arx &
civitas Fridberga, cum aliquot in proximo
sitis

Septemb
&
October.
Anno
1646.

litatis pagis, & Lechhusium quoque de novo incensum, versusque Lycum diversæ domus exustæ fuere. Undecima Octobr. inter 1. 2. & 3. pomeridianas, pergravis incursus & vehemens ejaculatio circum portam VVerthabruggensem contigit, & quæ ad eam sita munitio, actis cuniculis disrupta, sed vis repulsa contra authores agens, duos quidem ex obsessis abduxit, sed qui incolumes rediëre. Itendidem exteriores tumulum dispositum machinas contra locum illum quem Suevica loquendi formula à prospectu dicunt, *Sueg ins Land* / comportarunt, similiter & altum telonium flammis addixerunt. Ea die Vicarius quidam Suecicus captus, ex Rosenavia in civitatem veniens, annuntiabat, obsidentes omnem rem tormentariam præter quinque solum machinas, aliò abduxisse, & rumor in castris obortus ferebat, Cælareanorum & Bavaricorum exercitus, jamjam Fridbergam appulisse: cujus testimonium superbus Vulcani, pone oppidulum illud actus triumphus, credibile fecit.

Duodecima Octobris circa 2. matutinam confœderati apud aggerem exteriorrem ad portam VVerthabruggensem denudò gravi incursum factò, non sine damno

B

a

retro-

Septemb retrocesserunt. Idem ad portam piscato-
 & riam & Klenckerinam displodendo, suf-
 October, fodiendo, globos saxave projiciendo
 Anno (quos inter parvi lapides sepulchrales, ma-
 1646, gnaque pondera fuerunt:) fortiter ausi
 sunt, sed quo nihil memorabile effectum
 est. Circa meridiem Cæsareanus & Bava-
 ricus exercitus, ut scribunt, octodecim
 millibus equitum, & duodecim millibus
 peditum prævalentes, ordinata acie, te-
 lonium altius Electorale petebant. Ex qui-
 bus extemplò tres phalanges versus supe-
 riorem Fridbergensem pontem Lycanum
 proruentes, cum Suecorum & Gallorum
 turmis, ad pontem illum consistentibus,
 prælium inibant, & centum interfectis
 munitionem quandam tumultuario ope-
 re congestam, cum duobus in ea positis
 tormentis, occupabant. Interea tempo-
 ris confæderati cum parte suorum propius
 ad Lycum annum, Cæsareanos transitu
 prohibitum, sese contulerunt, castris for-
 mandis pagum Haustadium locum com-
 modum delegerunt, novem cohortibus,
 quas sua Galli lingua *Brigades* appellant,
 è regione Gögingæ, aperta planitie con-
 sistentes: at primarii exercitus Suecici cor-
 pus Stattbergæ hærens status sui confusio-
 nem non mediocrem præ se ferebat, dùm
 obse-

obsessorum erumpentes equites stationes Septemb
 & fossas transitorias, quas ad civitatem &
 usque perfecerant, potiore partem de- October.
 fertas invenerunt, & confœderatorum im- Anno.
 pedimenta jam seorsum jam istorsum iter 1646.
 instituerent. Nihilominus horreum late-
 ritium cum 2. cohortibus sub dispanfis si-
 gnis, ut & opera sua apud Klenckerinam
 & V Verthabruggensem portas, locisque
 adfatis, inclinante Sole iterum forti præ-
 sidio muniebant, magnoque numero vo-
 lantium vexillorum excubias obibant, &
 usque ad secundam matutinam globos la-
 pidesque eructando, non ignobile civi-
 tati negotium movebant. Verum enim-
 verò, cum scopus adeò acriter susceptæ
 circumfessionis via alia tangi non potue-
 rit, confœderati omnes stationes ad Ly-
 cum deserentes, castris accrescente die,
 domoque una Hausstadii, arce quoque
 illa Radavia, pago Iningia, Gögingia, O-
 berhusio, & partim etiam Pfersia, combu-
 stis, loco demigrarunt; postquam per o-
 ciduum, & quod excurrit, inter muni-
 tiones & ad fossas, operam tulissent.

Typum æneum, eoque expressas lite-
 ras & numeros, quod concernit, quippe
 per quem forma, de qua scribo, obsidio-
 nis, suo ordine lectori probè ob oculos

Septemb ponitur, indicat primo litera A, Curiam,
 & & prope eam adornatam turrim Perlegi-
 October. am. B, denotat templum Cathedrale D.
 Anno Deiparæ. C, significat S. Ulrici & S. A-
 1646. fræ. D, ædem innuit S. Mauritii. E, Do-
 minicanorum monasterium signat. F, S.
 Annæ Basilicam depingit. G, S. Crucis
 parochiam exscribit. H, Jesuitarum Colle-
 gium ostendit. I, S. Georgii sacellum
 subjicit. K, Stephani Abbatiam de-
 monstrat. L, delubri, quod est in infe-
 riore cœmiterio, notam dat. M, S. Jaco-
 bi sacellum exhibet. N, Nudipedum clau-
 strum insinuat. O, Franciscanorum Con-
 ventualium Cœnobium exprimit. P, D.
 Mariæ. Q, Discalceatorum. R, S. Cru-
 cis, portas. S, rubræ turris, eique adposi-
 tam munitionem, vulgò Ravelinum. T,
 Gögingianam. V, Klenckerianam. W,
 Werthabruggensem. X, Piscatoriam. Y,
 S. Stephani. Z, Oblatterinam portas, sin-
 gulas cum adjacentibus loricis, quas Ra-
 velinas dicunt, annunciant.

Ex numeris 1. portam Jacobinam de-
 notat. 2. Avium. 3. Smidbogiam por-
 tas, singulas cum adjunctis munimentis.
 4. robrum. Eserium. 6. Gögingianum,
 propugnaculum. 7, Influxum, vulgò den
 Einlaß!

Einlaß / & infra eum extructam muni- Septemb
tionem. 8. Propugnaculum Judaicum. &
9. Aggerem, quem Royeri tribuni soler- October.
tia fabrefecit, (cui duæ machinæ impo- Anno
sitæ erant:) 10. propugnaculum, quod 1646.
furnum dicunt. 11. Propugnaculum, à
felibus cognominatum, die *Kasen. Pa-*
sten. 12. Propugnaculum indigitatum
Suegins Land. 13. Propugnaculum, quod
à pustulis die *Blatter. Paster* nominatur.
14. Propugnaculum Jacobinum. 15. ag-
gerulos circa urbem præsidio vacuos mon-
strat. 16. Cuniculus Suecorum ad por-
tam VVerthabrugensem. 17. alius Cu-
niculus apud portam Judaicam. 18. Sue-
corum agger tormentarius, loricae & fos-
sæ cursoriæ. 19. Rubrum molendinum,
S. V Volfgangi templum, eique vicinum
hierocomium significat. 20. Domini Chi-
liarchæ Francisci Royeri ingressum exscri-
bit, qui cum phalange sua 25. Septemb.
singulari modo castra Suecica perrum-
pens, civitatem subintravit. 21. Mola
civitatis denotatur. 22. Mola montana,
cum adstante mola ferraria, ante portam
Jacobæam. 23. Mola ferraria ante pro-
pugnaculum Blatterinum. 24. Mola Ly-
ci. 25. Inferius tabernaculum fabrorum
lignariorum. 26. Lechhusium, pagus.

Septemb 27. Suecorum erecta valla, & fossæ, in
 & solo Bavarico. 28. eorum aggeres ma-
 October. chinales, ex quibus primùm civitatem qua.
 Anno tuor tormentis divexarunt. 29. Gögingia,
 1646. pagus & Radavia 30. Fuggerorum arx
 V Völlenburgum oculis subjicitur. 31. Pfer-
 sia, pagus. 32. Bergium. 33. Oberhu-
 sium. 34. Griechshaberia. 35. Steppa-
 chium, pagus. 36. Suecicorum adimen-
 di prospectus gratia efformata opera. 37.
 Horreum lateritium, in quo Suecici vi-
 gilias suas posuerunt, & excubitores quo-
 tidie pertransierunt. 38. Suecorum co-
 piæ in Suevia & Bavaria. 39. Mortaria &
 Catapultæ igniariæ. 40. Cæsareæ ac Ba-
 varicæ copiæ, ut affluxum infestarent, flu-
 viumque reduxerint, exhibetur. 41. Sphæ-
 ræ nitratæ & saxa in civitatem ejecta de-
 pinguntur. Quæ præfati totius obsidii ex-
 circumstantiis desumpta descriptio est: u-
 bi & hoc succurrit, quod Augusta ad nos
 pervenerit, ex obsidentibus circiter duo
 millia, ex obsessis autem tantum viginti
 occubuisse. Deinde ex omni ferrea tor-
 mentorum grandine, quæ in aliquot mil-
 lia jactuum excrevit, necnon ex ducen-
 tis, quibus urbem inundarunt, globis py-
 robolaribus (quorum pars centum, pars
 centum quinquaginta libras æquaverunt.)
 neque

neque in locis fœno repletis, nec aliis qui- Septemb
bus immissi (præter unius tantum texto- &
ris tuguriolum, quod incendio interiit:) October.
damnum notatu dignum nusquam or- Anno
tum: id quod inclutum ejus Reipublicæ 1646.
Senatum permovit, ut observatam peri-
culo urbem Ephorum magno quodam
malluvio & cantharo, ut & catena aurea,
mille florenis æstimata, honorificè dona-
verit.

Circa idem propè anni tempus Galli *Dunkerka*
(ut etiam in præcedenti libro primo, pa- à Gallis
gina 133. dictum à nobis extat:) obsidio *capta.*
nem *Dunkerka* vehementi ardore aggres-
si, adeò pertinaci virtute rem egerunt, ut
posteaquam ad explendam fossam, 140.
pedes latam, accincti essent, magnamque
evomendis globis pilisque igniariis ope-
ram infumerent, obsessi tanto eorum la-
bore ad ineunda subsequentis compositio-
nis capitula adacti fuerint.

*Primò, Civitas Dunkerka, unà cum for-
talitio Leonis, & omnibus inde dependenti-
bus munimentis, per Marchionem de Lede,
Jovis 11. Octobr. cum omnibus in domo an-
nonaria reconditis, aliisque rebus, ad mili-
tiam pertinentibus, nihilo excepto, cras hora
septima antemeridiana, in manus Ducis An-
guinij traditor: qua hora, prædictus Marchio*

Septemb & Ledeus & Zonthius, Sergantius Generalis,
 & omnes Chiliarche, alique Officiarij, nobiles,
 October, milites, omnesque, qui ministerium bellicum
 Anno subierunt, sive in civitate, sive fortalio de-
 1646. gerint, cum omnibus impedimentis, funicu-
 lis ardentibus, signis erectis, impulsis tympanis,
 duabus machinis, absque omni interie-
 cto obstaculo demigranto. 2. Eadem die om-
 nis affecuratio, eos Neuportum conducen-
 di praestetur. 3. & Mercurij 10. Octobr. cir-
 ca sextam vespertinam porta Neuportana
 Duci Condeo tradatur, & ab illius Celsitu-
 dine presidio muniatur. 4. Ad hanc capi-
 tulationem eo firmitus & constantius adim-
 plendam, consensus est, ut ex utriusque par-
 tis militibus, usque ad vesperam Iovis 11. O-
 ctobris nihil hostile agatur, neque ullum ser-
 mocinationis commercium inter eos institua-
 tur, ultra quam à Generalibus ex utroque
 latere permittitur. 5. Debent etiam ex una
 atque altera parte stationes vigilum, Gallicè
 Sentinelles, constitui, ne quid ulterius in ex-
 citatis operibus devastetur, sed quod devasta-
 tum, medio intercurrente tempore, in priorem
 statum reducatur. 6. Specula super portam
 marinam collocetur, observatum navigia in-
 euntia, abeuntia, eaque visitatum. 7. Si-
 mul transactum est, ut omnes Officiarij & re-
 miges Admiralitatis, ut & ejus Consiliarij,
 Officia-

Officiarij & alij ministri, vigore hujus assen- Septemb
 rationis demigrare possint. 8. Præter Mar- &
 chionem Ledæum, & supradicta tormenta October.
 duo, adhuc sex alia minora, ex castris Baronis Anno
 de Lamboy, iis conceduntur, unâ cum equis, 1646.
 curribus, Officiariis & ministris. 9. Vt o-
 mnibus civibus & præterea etiam personis Ec-
 clesiasticis & politicis, cuiuscunque conditio-
 nis fuerint, facultates, privilegia & libertates
 suæ sarte tectæ relinquuntur, easque absque o-
 mni ulteriore aggravatione procurandi. 10.
 Liberum esto, ut omnes cives cum præsidiariis
 emigraturi, intra septem menses redire, &
 cum mobilibus suis, quò lubet, abire possint;
 anni spatium ad alienanda bona sua hereditaria
 & immobilia relicto. 11. Similiter quoque
 conclusum est, nisi ante sextam vespertinam
 Mercurij, obsidione eximantur, nec ab exerci-
 tu Regis Hispaniarum exercitus Regis Gal-
 liarum, ad movenda castra, adigi possit, ut hæc
 Capitulatio valida, è converso invalida sit; sed
 civitas, qualis jam est, ex hoc libera esse de-
 beat. Interim autem nullum terra marive
 succursum, nisi solum illum, qui Gallorum ca-
 stra loco movebit, recipiat, tum neque incolæ,
 neque præsidiarij civitatis, si succursus aderit,
 defensionem ne insistant, nec opem submini-
 strant. Quod si autem ex castris hostilibus mi-
 les subsidiarius ingressus fuerit, ei, ut incolumis
 reverti

Septemb reverti possit, saluus conductus prestetur. 12.
 & Vbi & hoc additum: Quod si ex hac die, ad
 October. decimam Octobris usque inter duas Coronas
 Anno pax conclusa & publicata fuerit, utraque pars
 1646. in eo statu, quo nunc sunt, permaneat. 13. Ho-
 dieque ei, quem Marchio de Lede ablegabit,
 literæ compassus conceduntor, quæsitum Du-
 cem Piccolominæum, eumque de his certio-
 rem redditum, ut sese in certa loca conferre
 possit. 14. Ad contractum hunc in omnibus
 punctis firmiter adimplendum, hodie obsides;
 ex parte Marchionis de Lede, unus Colonel-
 lus à Rege, unus Colonellus à Barone Lambo-
 io, Capitaneus qui Hispanos regit, duæ personæ
 à magistratu, & unus Officiarius ab Admira-
 litate sese in castris sistant, nullaque interposi-
 ta mora portæ civitatis Duci Condeo tradan-
 tur; cuius Celsitudo itidem duos Tribunos, cum
 quatuor Capitaneis, in ea relinquat. 15. Ca-
 ptivi utriusque partis liberè dimittuntor: æ-
 grotantibus & vulneratis deducendis, vehi-
 cula & currus conceduntor. Quorum tracta-
 tum duo exemplaria invicem conformia cõ-
 scripta sunt, quorum alterum apud Ducem
 Anguinium, alterum apud suam Excellen-
 tiam, Marchionem Ledæum, permaneat.
 Transactum & conclusum, 7. Octobr. 1646.
 Subscriptum

Ludovicus Burbonius.
 Baro de Lede.

Dun-

Dunkerka ante adventum Gallorum, Septemb
 prope quatuor millium præsidio sub Mar- &
 chione Ledæo obfirmata erat. Cujus Ex- October!
 cellentia ad conservandum magni mo- Anno
 menti locum, omnia, quæ quidem in sese 1646.
 fuerunt, effecit, siquidem è regione Forta-
 litii, quod Galli in montibus Dunbergicis,
 inter Dunkerkam & Neuportum, ad Mo-
 nasterium Dunium, erexerant, duos col-
 les, sive funiculos arenarios, æquavit, eam-
 que regionem 16, tormentis communiri
 jussit. Similiter Gandavo sub dato 28. Se-
 ptemb. styl. Jul. perscriptum fuit, præfatum
 Ephorum, Fregatam aliquam (navigii ge-
 nus est, quod cursum velociter accelerat.)
 Londinum ad Parlamentum emisisse, pe-
 titum contra Gallos auxilium, idque re-
 sponsi tulisse, Parlamentum semetipso ita
 esse intricatum, ut aliis subsidio venire non
 possit: quod ita Fregata, verso Ostendam i-
 tinere, explicuit. Cum itaque Hispani ubi-
 que parum proficerent, ad ineundam pa-
 cificationem, & civitatem Gallis ceden-
 dam, coactus est: cuius potissima causa pul-
 veris nitrati, & aquæ dulcis penuria fertur.
 Patrocinium eius Campi-Marescallo Ran-
 zovio permissum: qui præter com meatum
 bellicum 180, tormenta invenit, ex quo
 exercitus in hyberna dimissus fuit.

Quo

Septemb
&
October.
Anno
1646.
Regni Sue-
ciae Legatus
extraordi-
narius Lu-
tetia ma-
gno honore
affectus.

Quomodo regiae Coronae Sueciae Lega-
tus extraordinarius, Dominus Comes Ma-
gnus de la Gardie, sexto Septemb. introi-
tum suum solenni pompa Parisiis habue-
rit, in praecedenti libro pagina 132. di-
ctum est. Jam vero 13. huius in arce seu Pa-
latio Fontainebleau à Rege publica Au-
dientiâ honoratus, sequenti die cum illius
Maiestate agitandis feris sese recreavit. De-
cimo octavo huius Dominum Cardinalem
invisit, qui tres passus in ipsius occursum
Ante-Camera sua exiit, postea disceden-
tem usq; ad inferiorem scalae partem con-
comitatus est, & in suum conclave se rece-
pit, nec minus, cum Rex, Regina & Emi-
nentissimus, Dominus Cardinalis in silen-
to in theriotropheum veherentur, & Le-
gatum obviam haberent, eum in vehicu-
lum ascendere iusserunt; cumque ipsi Rex
loci elegantiam commonstrasset, & in ar-
cem reduces facti essent, ex ea proprio Re-
gis curru in hospitium deductus fuit. 2. 12.
Octobris ad S. Germani profectus, ibique
Reginam Magnae Britanniae invisens, re-
gios ministros effusis munerib. mulctabat,
praesertim Domino à Berlise, Conductori
Legatorum, egregios seiuges suos, Domi-
no Girant pro-conductori ducentos Lu-
dovicos largitus & sic deinceps, alios quo-
que

que regios ministros, quemque pro ratione officii, dono exornatos, à se dimittebat. Septemb
 Præterea multas catenas aureas, pretiosa &
 numismata, reginæ Sueciæ, suaque ipsius October.
 imagine inscripta fieri fecit, ea præsentaturus. Anno
 1646.
 Cumque ita plerique in eo honorificè acquiescerent, publicus inde rumor exortus est, multis annis similem illi non esse visum, ita ut magna authoritate in aula regia effloruerit: quem Rex egregio munere ad quadraginta millia coronatorum æstimato beavit. Porro Parisiis sub dato 9. Octobr. ad nos pervenit, Regiam suam Maiestatem, & Domini Cardinalis Eminentiam, ablegasse Dominum à Bois in Sueciam, allatum Reginæ munera, de quibus dicitur, quod pretium ducentorum quinquaginta millium Francorum superaverint, prout suo loco pluribus dicturum sumus. Cum primis autem Cabinetum, quod vulgò appellant, seu Ornatus, quem Serenissimæ Reginæ, præter sex equos pulcherrimos transmisit, ob pretii magnitudinem magnopere celebratur. Dū ergo Illustris Dominus Comes, (cuius navigia interea temporis in portu Diepano subsistebant, ubi propemodum inter Suecicos & navem aliquam Britannicam periculum exortum fuisset:) pro adornando in Sue-

Septemb & October. Anno 1646. Sueciam reditu, omnia in ordinem redigisset, Italorum Comœdias cum iucundis illarum inventionibus spectasset, & actoribus 150. Ludovicos porrigi iussisset, nec non solis 1. 11. Novembris Reginae Galliae, Clementiss. suae Reginae effigiem, opere apprimè pretiosam, spectatu longe elegantissimam obtulisset, Saturni 2. Novembr. vel 1. Decembr. st. Greg Diepam inter subijt, ibi navem conscendit, & 16. Jan. 1647. circa vesperam Stockholmiæ adpulit, in cuius honorem, quatuor cohortes, in armis excubantes, ingressum eius præstolatae sunt.

*Dominus
Gustavus
Gustavsonius
in ordinem
Comitum
elevatur.*

Stockholmiæ hoc tempore laborabatur, qua via gravis quædam Legatio in Moscoviam exornari possit. At 2. 12. Septemb. Dominus Gustavus Gustavsonius, novo Comitatu Nystadio, qui quotannis ultra novem millia Imperialium in redditibus habet, solenniter investitus, & 5. 15. eodem modo in senatum regni cooptatus fuit. In primo actu Regia Maiestas post factam propriis manibus traditionem regii diplomatis, super prædicto comitatu egregium sermonem habuit, partimque gloriosissimi parentis pro concepta consilia, partim etiam Domini Gustavi præstita hætenus officia & merita, tanquam causas regalis bene-

beneficentiæ, celebravit : quo finito illu- Septemb
stris Domini Comitibus Celsitudo, se solenni &
gratiarum actione commendabilem fecit. October.
Quibus ita procedentibus Friderici Hassiæ Anno
Landgravii, &c. festum nuptiale magnis 1646.
solennitatibus peractum fuit.

Statum belli in Silesia, locisque conter- Status bel-
minis, quod attinet ; postquam Suecicæ licus per Si-
militiæ Præfectus Dominus Wittenber- lesiam, e-
gius, copias hucusque desideratas accepit, jusq; vici-
niam.

Octava Septembris styl. Greg. à 5. ad 6. pe-
ditum millibus cum 25. signis equitum,
quæ summatim ultra 8000. effecere, nec
non re tormentaria probè instructa, 22.
machinis consistente, Glogoviæ ex Polo-
nico latere Oderam transiit, eaque die in-
stitutis precibus & ieiuniis, contra comi-
tem de Montecuculi, Cæsarei exercitus
directorem castra protulit, qui arcem Le-
henhusium ante aliquot dies occupaverat:
Quamobrem ephorus loci Glogoviæ ar-
resto detentus fuit. Etsi autem Cæsareani
sub Comite de Montecuculi ad Fridber-
gam recubarent, arcesque Fridbergam &
Greiffensteinium graviter coangustarent;
exciderunt tamen proposito suo : quin
Wittenbergius utramque domum obsi-
dione feliciter eripuit, ita ut eo adveniente
Cæsareani, ducentis vulneratis & occisis,
C per

Septemb
&
October.
Anno
1646.

per Tirnaviam in Bohemiam festinarint: ubi comes Buchhemius & vigiliarum præfectus Generalis Pompeius, ex superiori Silesia sese conjungere & firmiorem exercitum colligere in mandatis habuerunt. Præter hæc quædam Suecorum copiarum ex Lipsia & Erfordia circiter 300. equorum numerum deferentes Brixiam munitum castellum, subsidiò obsidiò levârunt, com-
meatu de novo instruxerunt, & quæ munitionem tenebant vigiliis, partim trucidarunt, partim captivos abduxerunt; quo tamen susque deque habito 150. circiter sclopetarii, sub tribuno Felice, cum 60. Croatis Brixia perstiterunt; & Solis 6. 16. Septembris phalanx Suecica ex Greiffensteinio apud urbem *Alt. Bunsel* / protribunum *Wachteldungium*, glande perforavit, & comitem quendam Juniorem *V Vallensteinium*, aliosque plures in captivitate abripuit.

Bolkenhemium Wiszenbergicis deditur.

Proximè subsecuta 8. 18. Septembris Dominus Generalis *V Vittenbergius* castellum & civitatem *Bolkenhemium* duabus legionibus equitum, & una dimacharum aggressus, postero die toto circum-sedit exercitu, tormentisque dispositis interiores ex mænibus disturbatis in arcem transfugere compulit, ita ut intra unius
horæ

horæ effluxum civitatem deditioem pa- Septemb
 cisci oportuerit. Etsi autem civitas ab iis, &
 qui in arcem sese surripuerant, incensa fue- October.
 rit, brevi tamen à Suecicis ignis suppressus, Anno
 tantaque annonæ copia in frumentis, vi- 1646.
 & tualibus, tantaque pecoris multitudo re-
 perta fuit, ut ex ea totus exercitus sat lon-
 go tempore vitam tolerare potuerit. Op-
 pido itaque in potestatem Suecorum reda-
 cto, castellum oppugnatum fuit, cujus pro
 tempore Baro à Zadlitz, ad quem domus
 hæc pertinet, veluti defensor cum 30. aut
 40. dimachis & milite aliquo provinciali
 curam agebat, is quidem principio animi
 habebat, extrema quævis sufferre, & nec
 suæ ipsius vitæ parcere (quæ ejus, cum de-
 ditio illi injungeretur, declaratio erat:) sed
 tandem, quod ex Glogovia per scriptum,
 cum obsessores in vestibulum pervenis-
 sent, victoris discretionis & arbitrio sese
 submitit, & ad impetrandam discedendi
 facultatem, lytri loco millia aliquot impe-
 rialium exolvenda obtulit: at cum nullum
 precibus suis locum relictum videret, ex-
 cessit & arcem in manus Suecorum resi-
 gnavit.

Dum ergò Generalis rei armamentariæ
 præfectus V Vittenbergius, 20. 30. Septem-
 bris exercitum movet, in via certior reddi-

C

2

tur,

Septemb
&
October.
Anno
1646.

tur, quinque legiones Cæsareanas; videlicet Pompei, Capuni, Gisenburgii, Lobensteinii, & Colobradi tribunorum, cum duabus liberis cohortibus, ductore Comite de Montecuculi ad exercitum Cæsareanorum primarium profectas: è contrario septem legiones cum Polonis pedem retulisse, & sub directione Domini Generalis præfecti Hanovii in & circum Horfchitium in Bohemia hæerere: fortunam itaque experturus, easque aggressus hoc quo sequitur, modo, affectui dedit, ut scilicet turmis pedestribus cum impedimentis suis, cumque cohorte Hornii & Barclaii apud Landshutum relictis, cæteras legiones equestres & dimachas **21**. Septembris ft. vet. summo mane iter maturare iusserit, & illa adhuc vespera pone Regis-aulam, uno & dimidio milliari à Cæsareanorum statione primaria & circiter tribus quadrantibus ab excubiis principalibus, alto silentio advenerit. At cum ob graviores spissasque pluvias, & nocte simul obrepente ulterius gradum promoveri non posset, optimè existimatum, in insidiis subsistere, & exortum diei expectare: eo consilio reliquum itineris ita ordinatum est, ut primo statim diluculo, in vigiliis anteriores, & simul cū iis in principale militiæ hospitium irumpere

rumpere valerent: quod adeo tacitè perfe- Septemb
 ctum, ut ne unica quidem pattolla (sunt &
 vigiles, qui noctu plateas circumeunt:) ex October.
 Cæsareanorum excubiis, nocte illa in Sue- Anno
 cicos quicquam tentaverit. Verum enim- 1646.
 verò Hanovius, vigiliarum Generalis præ-
 fectus, ex oriente die à rustico quodam, qui
 præcedente vespera V Vittenbergicos apud
 Königshofium iter metiri viderat, de hoc
 certior factus, iis legionibus, quæ partim
 uno milliari à statione Cæsareanorum com-
 morabantur, a ctutum in mandatis dedit,
 ut Pardovitium versus sese retraherent. I-
 ple cum principali statione in apertum sese
 recepit, ibique suam & Schleinitziam le-
 giones, quæ in propinquo aderant, sistere
 conabatur; sed temporis angustia propo-
 sito exclusus fuit, & Suecici vigiliis eius im-
 maniter divulsis, ante dictarum duarum
 legionum, quæ omnium robustissimæ fue-
 runt, adeo celeriter terga involarunt, ut
 loco se continere amplius nequiverint, o-
 mnique abiecto animo palam fecerunt, se-
 curius esse pedibus periculo se eximere,
 quam manibus vitam ab hoste redimere.
 Quæ eo ipso probe concisæ fuerunt. O-
 mnia enim ipsarum impedimenta pessum
 iverunt, & solummodò ex legione Hana-
 viensi præter eos, qui trucidati, 150. equi-
 res,

Septemb
&
October.
Anno
1646.

tes, quos vulgus Germanorum **Einspänniger** appellat, cum totidem servis & famulis capti fuerunt, nec minus tribunus Devvagijs, cum residuis legionibus, (præter Götzianam, apud supra memoratas duas Saxonicas; consistentem & amissis omnibus impedimentis satis mutilatam:) in lævo latere, uno à principali status militaris diversorio milliari, simulac quid negotii gereretur, suboleret, fugam Königsgrethium arripiens, potiolem impedimento- rum partem hosti victori deprædandam reliquit. Qui autem in hoc conflictu comprehensi fuerint, qui subsequitur, indiculus, significabit. 1. Dominus tribunus Bauerus, Generalis hospitiorum designator; Generalis rei Judiciariæ Auditor, Generalis curruum præfectus; quatuor equitum Magistri, 2. Vicarii Centurionum, 3. Locumtenentes, 4. vigiliarum magistri, 3. Decuriones, sive Corporales, 1. Comitatus ductor, 3. tonsores campestres, 2. tubicines, ultra 300. gregarii, præter vehicularios, famulos, & id genus lixas & calones. 1. vexillum, 1. par tympanorum, sed qui tartareos recessus quæsierint, de eo iam dum nihil certi compertum habemus.

*Suecorum
Olmütien-*

Sueci Olmutienses, paulò ante non minus benigna fortuna usi sunt: Exiis enim
cùm

cùm Vorgelius equitum Magister cum 95. Septemb
 equitibus versus Sternbergam excurreret, &
 id Kohlhausio Maiori, qui ab iis ad Cæsa- October.
 reanorum signa transierat, simul etiam Anno
 Leipnitæ hospitanti Croatico Magistro vi- 1646.
 giliarum innotuit; Qui 150. equitibus & *sum foru-*
 25. grassatoribus, vulgò Schnapphanen / *natus ex,*
 usque ad Sternbergam secuti sunt: Cum *cursum.*
 ergo duæ Croatarum turmæ in Olmutien-
 sium currus sale nitrato onustos, impetum
 fecissent, tres Suecorum phalanges in eo-
 rum occursum peruperunt, quos inter
 gravis conflictus obortus, ita ut tantum
 duo vigiliarum, 3. equitum magistri, & 30.
 gregarii, nec illi sine difficultate Leipni-
 cum elapsi fuerint. Vorgelius captivos te-
 nuit 5. signiferos, 1. vigiliarum magistrum,
 3. ordinum structores, 50. gregarios, & 85.
 equos ephippiis instructos. In loco prælii
 concisi fuere 1. antesignanus, 2. Decurio-
 nes, 1. tubicen, & 25. gregarii: ex adversa
 parte nemo mortem oppetiit, nisi quod
 unus atque alter vulneratus fuerit.

Inferiorum Hassorum Gubernator No- *Zontium*
 vesianus, Dominus Tribunus Rabenhaupt *ab Hassiacis*
 (postquam superioribus diebus quinque *incassum*
 cohortes pedestres, quæ ex V Westphalia *circumse-*
 venerant, Zontium ingressuræ, propè Dor- *sum.*
 magium vicisset, potioreque partem dis-

Septemb & October. Anno 1646. iecisset, & signa eripuisset:) 24. Septembris locum obsidione complexus, rem graviter egit, fossisque castrensibus, & tumulis tormentariis contra oppidum arcemque egestis, machinas & mortaria disposuit. 28. Septembr. boandi initium factum: qua die 67x. iactus Canonici ut ita dicam, connumerati; nec non præterpropter centum pilæ igniariæ projectæ sunt; ast quæ vim & operationem suam parum exeruerunt; 29. Septembris eructandis globis denuo fortiter laboratum, ex quibus unus in arce multum fœni & straminis exussit, alius in oppido domus decem & novem horrea abrasit; obsessis tamen, quos Dominus Goldsteinus moderabatur, tanta vis animos non detraxit, quin potius addidit, ita ut tanquam honestæ militiæ asleclæ, locum usque ad extrema defendendum susceperint, & Hassiacis non parum damni intulerint; cumque die quadam adverso Æolo, obsessi autem eo benigno uterentur, multa stramenta congerentes, ea postmodum accendi fecerunt, undè obsidentes fumo impediti nihil opera dignum gerere valuerunt, ereptione interim per obsessos facta, qua diversi occisi, & in tormentario quodam aggere tres quatuorve machinæ infixis clavis inutiles factæ, de-

mun-

mumq; in subiectam fossam deiectæ sunt, Septemb
 erumpentibus multa præterea sclopeta & &
 id genus alia arma è fossis cursoriis ablata in October.
 civitatem secum asportantibus. Quando Anno
 quidem ergò certus in castris Hassiacorum 1646.
 rumor percrebruerat, Generalem Melan-
 drum cum 1800. circiter equitibus, 800.
 sclopetariis & 5. tormentis, propè Colo-
 niam, Rhenum trajecisse, atque Zontium
 ab obsidione liberatum in itinere esse, Ra-
 benhauptus Hassiacorum cohortium sum-
 mus Præfectus suis diffusis viribus adven-
 tum eorum expectare noluit, verùm præ-
 missis machinis, & cætera ad rem tormen-
 tariam pertinente supellectile convasata,
 Novesium pedem retraxit.

Zontio itaque tam feliciter liberato, *Euskircha*
 præfatus Generalis Melander ad diem Lu- & *Heins-*
 næ 8. Octobr. S. N. copias suas Euskirchæ *burgum de-*
 admovit, ductisque urbem versus fossis *ditionem*
 cursoriis, I. II. hujus obsessos machinis *paciscuntur.*
 oppugnare cœpit, qui viros sese ostenden-
 tes ex tormentis graviter responderunt, in-
 ter quem acerrimum congressum Genera-
 lis Sparrus suum, cui insidebat, equum
 globo trajectum amisit, altero autem die,
 cùm speculatum ad urbem propiùs acces-
 sisset, glande plumbea bombardæ gran-
 dioris post tergum percussus valoris sui
 non

C

S

non

Septemb non exiguam fecit jacturam, undè lecticæ
 & impositus, ut pristinæ integritati restitue-
 October. retur, Bonnam se deportari mādavit. Jovis
 Anno 8. 18. Octob. civitas pilis igniariis vehemē-
 1646. ter infestata tremuit, simulque diversæ in-
 colarum ædes ac horrea incensa tertiam, ut
 ajunt, urbis partem funesto incendio de-
 paverunt: quo facto, Hassiaci post meri-
 diem inter 2. & 3. de modo se dedendi lo-
 quentes in transactionem cum obsidenti-
 bus venerunt, quæ cū ea adhuc vespera
 conclusa & subscripta esset, numero cir-
 citer 400. integræ sanitatis sequente de-
 mūm Veneris 9. 19. Octobr. juxta teno-
 rem pactorum, sub volantibus signis, cum
 globis in ora ingestis, funiculis accensis &
 impulsis tympanis ex urbe digressi sunt,
 sub salvo præsidio Novesium deducti.
 Quòd verò, intercepta hunc in modum
 Euskircha, Melandrini permunitam do-
 mum Heinsburgum, quæ in Juliacensi a-
 gro ad Illustrissimum Principem Neobur-
 gicum pertinet, stratagemate expugna-
 runt, id prædictum Principem non leviter
 pupugisse asserunt.

*Venlona
 probè se de-
 fendit.*

Eodem tempore Hollandicus miles ri-
 pam Mosæ magnis cohortibus infestam
 reddens, ibi locorum opera dignum ali-
 quid geri posse credebat. Hinc Venlonam
 aggres-

aggressus, urbem illam obsidione preme- Septemb
re instabat, ast cum obsessores commilito- &
num non levem fecissent jacturam, nec ob October.
imbres continuo fluxu cælo decedentes Anno
castra, quæ Brabantiam spectant, satis com- 1646.
muniti possent, ab incepto turpiter destite-
runt, cum omni commilitio prono fluvio
Mosa descendentes.

Hic loci describenda nobis veniunt Co- Comitiorum
mitia, quæ Cæsarea Majestas Polonii in Hungari-
Hungaria celebranda publicis literis evul- corum suc-
gavit, & quò dictâ suam Majestatem nona cessus.
Septemb. in persona Vienna descendisse
pagina 131. & seq. præcedentis libri di-
ctum est. Ut igitur eorum successum rectè
pertexamus, non extra propositum erit,
impræsentiarum describere pompam, quâ
Hungariæ Primates sub initium statim Co-
mitiorum ostendi fecerunt, ubi sciendum,
minimum quemque illorum ducentos i-
mò trecentos Hussaros, unius eiusdemque
coloris vestibus splendidissimè indutos,
quinquaginta autem Heyduccos bombar-
diferos, loco satellitii tuendi corporis cau-
sa adhibiti, à latere habuisse, ne dicam de
cæteris cuiusvis eorum ministris & asseclis,
quorum vestes auro & argento radiantes
aciem oculorum perstringebant, equos
phaleris superbissimè tectos habentibus.

Nunc

Septemb
&
October.
Anno
1646.
*Palatinus
Hungariae
electus.*

Nunc itaque Comitiorum facto initio, die 15. 25. Septembris Dominus Traskowitzius, Croatiae haecenus Prorex, & Reverendissimi Domini Episcopi Jaurinensis Germanus frater, (Dominus, ceu Pofonio relatum accepimus, decem millionum dives, totidemque linguarum peritus, religionisque Romano-Catholicae acerrimus defensor:) communi favorabilique Statuum Hungaricorum suffragio per centum & amplius vota in Hungariae Palatinum electus, talisque publice proclamatus est.

*Propositio,
Statibus
Hungariae
ventilanda,
Caesaris nomine
oblata.*

Propositionem autem, quam Caesarea Sua Maiestas in Comitibus supra nominatis Statibus ventilandam dedit, quod attinget, ea in sequentibus capitibus consistit:

Notum esse ac perspectum fidelibus Statibus ac Ordinibus hujus regni Hungariae non ambigit sua Majestas Caesarea ac Regia, non stetisse penes Eam, tantam celebrandorum Comitiorum dilationem, quae non modo saepius ac magnoperè desiderasset, fidelibus regnicolis praesentiam suam exhibere, eorum necessitates ac difficultates percipere, ac de salute patriae, florentique statui unà cum ipsis in commune consulere, quin etiam publicam indicere dietam, Statusque in unum congregare non preter-

prætermisisset; verum arduis iterum & inevi- Septemb
 tabilibus difficultatibus intervenientibus, & &
 curis, ac bellorum fluctibus, quibus Christia- October
 nam Rempublicam graviter laborasse palam Anno
 est orbi universo, secutis mox etiam intestinis 1646.
 motibus, quibus hoc regnum agitari contigit,
 in eo salutari conatu impeditam fuisse ac retar-
 datam.

Quanto vero affectu & amore hoc suum
 Regnum Hungariae & Nationem Majestas
 sua prosecuta semper fuerit, vel ex eo innotuis-
 se, quod omne studium & conatum adhibere
 dignata sit, quo pacto excitata flamma restin-
 gueretur quantocius, neque ad interitum pa-
 tria depasceretur, maluit periculoso vulnere
 paterna manu, & suavioribus lenimentis,
 quam alio quovis modo asperiori mederi.

Qua demum Pace divino beneficio conclu-
 sa & constituta, acceleravit etiam Sua Maje-
 stas Comitibus clementer indicere ac promulga-
 re, ad reducendum omnino & stabiliendum
 in hoc regno quietis optataeque tranquillitatis
 statum, exhortans benignè Status & Ordines,
 impensèq; desiderans, ut concitatos prateritis
 motibus animo, seu quovis alio modo in trans-
 versum actos affectus penitus abolere, mutua
 sese charitate animorumque unione complecti,
 ac sepositis quibusvis privatis studiis uno cor-
 de & pari conatu decernendis & statuendis
 incumb-

Septemb & October. *incumbere velint, qua salutis propria, & afflictae patriae permansioni maxime congrua & opportuna videbuntur.*

Anno
1646.

Porro, cum salutem & permansionem Regni hujus Hungarici antemuralis utpote Christianitatis, à bona constitutione confiniorum dependere, in eaque sitam esse constat, paternè requirit ac desiderat sua Maiestas, precipuum conatum eò intendant, ac dirigant Regnicole, ut afflicto & penè prostrato Confinitorum statui erigendo & conservando etiam de proprio succurrant, memores quid non sua Maiestas, Maioresque Domus suae Augustissima, Provincia item hereditaria ac regna, ipsumque S. Rom. Imperium, melioribus temporibus pro eorundem confiniorum, atque adeò regni huius defensione, praestiterint, quantam expensarum molem profuderint, quantum sanguinis sparserint, non parcentes vitae ac fortunarum suarum dispendio pro eius conservatione, id ipsum deinceps quoque pari affectu & promptitudine reassumere & facere conati, ubi primum discussis non nihil modernis fluctibus quies aliqua ac tranquillitatis eiusdem spes affulserit, quod etiam Dei benignitate brevi futurum confidit sua Maiestas.

Nunc vero devastatis tot bellicalamitatibus oppidis & urbibus, hominibus rebusque consumptis, nec minus hereditariis Provin-
ciis,

ciis, præter gravissimas Contributiones, mili- Septemb
 tumque condescensiones, etiam ab hostibus non &
 parva ex parte occupatis, ærario demùm sua October.
 Majestatis nimium attenuato, eò res devenit, Anno
 ut quod ejus facultatum ac sumptuum acerbi- 1646.
 tas temporis reliquum fecit, in sui defensionem
 adversus hostes, in ipsis visceribus Imperij gras-
 santes, convertere, & in propriam veluti cor-
 dis aut capitis tuitionem conferre habeant ne-
 cesse, tantisper de proprio Status & Ordines
 subvenire, salutique Reipublica consulere, ne-
 que pro patria rebus ac fortunis suis parcere,
 velint, pro qua sanguinem & vitam profunde
 re paratissimos.

Non intermissura interim sua Majestas
 quicquid ex tantis necessitatibus decerpere,
 hereditariarum Provinciarum censu elicere
 signanter autem etiam ex proventibus huius
 regni, quàm fieri poterit, liberalissimè provide-
 re. Ad quas quidem confiniorum necessitates
 non ambigit S. Majestas, ipsos primùm qui-
 dem exactionem mediæ 30. continuaturos, de-
 inde ultra solutionem ac stipendium etiam de
 annona utriusq; ordinis militibus subventu-
 ros, siquidem hæc regio Dei benedictione vi-
 etualium dignoscitur esse feracissima.

Et quia experimento proprio compertum
 est, quàm exiguum ac tenue sit illud minimeq;
 sufficiens, quod misera plebs & portæ conferre

& con-

Septemb & *Et contribuere valeant, potissimum his distur-*
 & *biorum temporibus multum attrita; Status &*
 October. *Ordines de proprio consiniis succurrere, aliosq;*
 Anno *modos exquisitos & aptos iuvandi ex parte sua*
 1646. *invenire & excogitare laborent.*

Illud etiam afflicto consiniorum statui effi-
cit plurimum, quod passim non tam apud sub-
ditos quam ipsos perceptores, dicatores, similesq;
Comitatuum Officiales, multum restantiarum
herere perhibeatur, quin & in proprios usus
converti, de quibus inquisitionem exactam fie-
ri, debita exigi, rationesq; commodius dein-
ceps more antiquitus consueto Camera com-
mitti, prout non minus etiam de gratuitis labo-
ribus oportere existimaret.

Constituto & in meliorem ordinem reda-
cto Consiniorum Statu ac solutione, id quoque
regnicolis utilitatis emergeret, ut nec Turca
novos semper & alios pagos occupando ulterius
serperet, regnumque sensim usurparet, nec ab
ipsis Consiniariis fame ac nuditate penè con-
fectis, misera plebs continuis afflictionibus ve-
xaretur, sed in meliorem quietis ac tranquilli-
tatis statum regnum effloresceret universum.

Non defuissent alia quoque complura, quæ
ex parte suæ Majestatis fidelibus Statibus &
Ordinibus proponenda meritò censerì potuis-
sent: noluit tamen Majestas sua Cesarea &
Regia eosdem ad præsens aliis, præter hæc, pu-
blicum

blicum & commune regni bonum, ipsorum- Septemb
 que omnium salutem & permansionem con- &
 cernentia, onerare, benignè confidens fore, ut October.
 in iis tanquam amatores patrie, & optimos ci- Anno
 ves decet, quàm maximè necessariam & salu- 1646.
 tarem deliberationem instituant, opemque &
 operam suam libenter & promptissimis animis
 conferant.

In reliquo Cæsarea Regiaque sua Majestas
 fidelibus regni Statibus & Ordinibus, conjun-
 ctim omnibus & cuiusvis seorsim, gratiam suam
 & propensum voluntatis affectum clementis-
 simè offert.

Hic itaque proprius tenor atque argu-
 mentum Cæsareæ propositionis est. Pau-
 cis post interjectis diebus, ubi Statibus ea
 innotuit, Cæsarea sua Majestas cum Ra-
 gozkii Legatis plenè transegit, negotium-
 que illud eò perfectionis perduxit, ut di-
 plomata pacis subscripta, dicti Principis
 Legatis in præsentia Statuum atque Ordini-
 um Hungaricorum tradita fuerint: quo
 facto, Proceres Catholici, audita atque in-
 tellecta Jesuitarum ejectione, graviter con-
 tra protestati, eam regni Hungariæ privi-
 legiis è diametro adversam esse semel at-
 que iterum replicarunt, Evangelicis con-
 trarium semper adstruentibus, protestan-
 do, se à Cæsarea resolutione ne latum qui-
 dem

Septemb
&
October.
Anno
1646.

dem unquam recedere, quin potius in ea firmiter persistere cogitare; quæ restant cum pertinacia utrinque gesta dicitur, ut de verbis ad verbera propemodum ventum fuisset.

Verùm hisce non attentis, negotium die 23. Octobris in hunc modum scribitur compositum, ut Catholici, quos inter sunt Archiepiscopus & Jesuitæ, ea bona, quæ possederunt, partimque variis modis ad se pertraxerunt, & quæ quotannis 170000. florenos, vini verò 30000. urnas in redditibus habent, restituerent, (de quorum parte una Ragozkio partim satisfaceret, altera verò propugnaculis seu munitis, quæ sunt ad confinia, melius quam antehac factum, prospiceretur.) Patresque Jesuitæ ex Hungaria superiore pedem efferrent, quod punctum inter Hungaros non levem rixandi materiam præbuisse, fide dignorum hominum literis asseritur, ad ultimum tamen æquis conditionibus compositum fuisse. Quæ autem sæpiùs dictorum Comitiorum conclusa futura sint, de his alio tempore loquendi ansam nanciscemur, ubi ex præsentia addendum, adulescente Septembri Regum Hungariæ Coronam Jaurino (concomitantibus eam maximorum Regni procerum quadraginta sex

ta sex

ta sex rhedis, quarum cuius sejuges equi Septemb
 juncti erant, Principisque Transylvaniae &
 Ragozkii Legatis, & quingentis Hussaris:) October:
 Polonium transvectam esse. Anno

Circiter hæc Româ ad nos transcriptum 1646.
 fuit, in quem modum ex interpositione E- Barbarino
 minentissimi Cardinalis de la Spada, nec rum nego-
 non Dominae Olympiæ, Pontifex Max. ne- tium com-
 gotium, quod cum utroque Cardinale ponitur Ro-
 Barbarino hætenus intercessit, compo- ma.
 fuerit, ita quidem ut dicti Domini Cardi-
 nales Avenionem se conferrent, debita o-
 mnia tollerentur, ipsique in quaslibet suas
 pristinas dignitates ac bona restituerentur,
 ex soluto tantummodo illo, in quod jam
 rùm condemnati fuerunt.

Moritur interea 2. 12. Septemb. Parmæ Parmæ Dux
 Dux anno ætatis suæ trigesimo sexto, or- moritur, &
 phanos relinquens quatuor filios, quorum Cardinalis
 natu maximus sextum decimum necdum Honofrius.
 annum egreditur. Romæ itidem 10. 20.
 ejusdem è vivis exiit R. E. Cardinalis Ho-
 nofrius, Urbani Octavi Pontificis Maximi,
 nuper defuncti frater, postquam quinquæ-
 gesimum ætatis suæ annum attigisset.

Conquirendæ pecuniæ varii tunc modi Rerum Ro-
 excogitabantur Romæ, conservatum ni- ma & alibi
 mirum milites, quoniam de bello Turcico in Italia ge-
 & Gallico in futuram æstatem non levis- starum suc-
 cincta nar-
 rat ratio.

Septemb
&
October.
Anno
1646.

rat suspicio. Inter cætera Franciæ Rex, Mediatore Pontifice Maximo, petebat, Parmæ Dux 200000. illos aureos Hispanicos, vulgò duplones appellatos, quos bello contra Castrum profligando insumendos mutuo accepit, exsolveret restitueretque, sin minus nemo non metuebat, quin regioni illi Gallus bellum sit paraturus.

*Sarbonista
librum ma-
gni momēti
typis exseri-
bi faciunt.*

Et quoniam Sorbonistæ Parisienses nuperimè librum quendam typis excudi fecerant, in quo rationibus & argumentis ostendunt, Catholicæ religioni nullo modo adversum esse, plura quàm unum Ecclesiæ Caput præficere, cum idem tempore Divorum Apostolorum Petri & Pauli observatum & in usu fuerit; eapropter certi quidam ex purpuratorum patrum Collegio deputati sunt, qui dictum librum examinarent, & S. R. Ecclesiæ sedisque Apostolicæ authoritatem contra scribendo defenderent. Monitus item Poloniæ Regis literis frater Princeps Casimirus, nuper Jesuita in Cardinalium numerum adscitus, ni Pontifex Regiæ Serenitatis titulum ei tribuat, resignato Cardinalitio galero aulâ Romanâ in Poloniam reverteretur.

*Portus Lon-
gone in de-
ditionem
venit.*

Tuloni ab aliquo tempore maximi fiebant apparatus pro classe instruenda, quam instructam 14. Septembris Meleræus, militiæ

litia Gallicæ Præfectus, Mareſcallus & Na- Septemb
 varchus cum omni exercitu claſſiario con- &
 ſcendit, etſi apud neminem adhuc inno- October.
 tuerat, quam maris viam initurus, aut Anno
 quemnam in Italia locum aggreſſurus eſ- 1646.
 ſet. Nec verò diu latuit, cum viſus eſt pau-
 cis poſt diebus celebre illud munimentum
Longone dictum (portum qui tunc tempo-
 ris duorum millium armatorum præſidio
 firmus erat, in Elba Inſula è regione Plum-
 bini ſitus & ad Hiſpaniarum Regem per-
 tinens:) paulatim appropinquare, ejuſque
 obſidionem quâ terra quâ mari acriter ur-
 gere, cujuſ etiam 29. Octobris, poſtquam
 ſui in obſeſſos bis incurriſſent, prævia capi-
 tulatione potitus eſt: ex eo deſcenderunt
 milites recta valetudine utentes circiter
 quadringenti ſexaginta, & nonnulli infir-
 mati, cum ſarcinis & impedimentis, armis
 tum ſuperioribus tum inferioribus, machi-
 nisque duabus. Victores verò, qui Ducto-
 re Buſalinio numero 1200. Helveticorum
 militum, Gallorum 600. in munimentum
 præſidii nomine intrarunt, inibi repere-
 runt aliquot tormenta, apparatus belli-
 corum largum proventum, annonaque
 militi præſidiario ſuſtentando in trimēſtre
 ſufficere credebatur, quæ expugnatio mille

D

3

circi-

Me-
 par-
 ai-
 ello
 dos
 que,
 re-
 nu-
 i fe-
 s o-
 odo
 eſiæ
 Di-
 ſer-
 qui-
 regio
 mi-
 coli-
 ſen-
 lite-
 ſuita
 on-
 uat,
 Ro-
 i ſe-
 uam
 mi-
 litia

Septemb circiter Gallicorum militum jactura con-
& stitit.

October. Marchio Villanus, strenuus militiæ Gal-
Anno licæ sectator, in animum quidem induxe-
1646. rat suum, prope Fregarolam, quæ est in Me-
dolanensium agro, ter mille equites, pedi-
tum verò duo millia, per fluvium Bormi-
dam traducere, ut Gallis ad portum Lun-
gone in Tuscia supra dictum subsidio ef-
sent, at per Mediolani Governatorem 26.
Octobris incursum, quadraginta interfecto-
rum, captivorum circiter centum jacturam
fecit, quam ut aliquantum ulcisceretur,
tres pagos, Gamalario, Castellazo & Seze,
unà cum templis diripuit, direptosq; Vul-
cano & Æolo sacravit.

Plumbiniū Idem quoque processus cum arce & ur-
etidem sub- be Plumbino institutus fuit, quorum præ-
iacet. sidio non nisi triginta, ut ferunt, milites Hi-
spanici præfuerunt, Gallis ex sua militia o-
ctingentos commilitones immittentibus.

Alsfeldia Adolescente Octobri, Geysius, militiæ
deditur Castellanae summus Præfectus, & vigilia-
Cassellanis. rum Magister Generalis, cum oppidum
Alsfeldiam ex tribus vastioris molis tor-
mentis, duabus dimidiis Carthaunis, nec
non totidem duodecim librarum globos
ejaculantibus aliisque machinis muralibus,
graviter concussisset, aperta que ingenti
moenium

mœnium ruina, vehementissimum assul- October.
 tum (quo durante à parte Castellanorum &
 unus vigiliarum Magister, unus Centurio, Novemb
 nimirum Marchio à Kirchberg, Vicarii Anno
 duo, Signifer unus, & ex gregario commi- 1646.
 litio diversi occubuerunt, & non pauci
 vulnerati sunt:) fecisset, obsessi, qui erant
 quatuor cohortes pedestres Darmstatinae,
 ex legione Ebersteniana; praesidii Ephorus,
 Locumtenens Seidlerus, caeterique ei ad-
 juncti Officiales ac Ministri, arbitraria de-
 ditione sese dederunt; quo facto, Officiarii
 quidam arrepto constricti Castellaeque de-
 ducti fuere, usque dum lytron consuetum
 exsolvent, gregarii autem omnes sub si-
 gna victorum distributi sunt, quibus praeter
 excubantium ibi, aut sub initium statim
 incursionis fuga dilapsorum quatuor tur-
 marum equitum, sarcinas atque impedi-
 menta, quatuor simul nigri coloris vexilla
 extollerunt.

A die sublatae ad Augustam Vindelico- *Casareorū,*
 rum obsidionis (de qua in praecedentibus *Bavarico-*
 narratum extat:) Confœderatorum exer- *rum, Sueci-*
 citus in tractu Danubiano diversas visi sunt *corū, Galli-*
 congerere munitiones, congestasque praer- *corumq; ex-*
 sidiis & pertinentibus aliis graviter obfir- *ercituum in*
 mare, imprimis autem Raina, supra quam *Bavaria ac*
 credi potest, communita, quorum interea *Suevia sta-*
tus & ex-
peditio;
mili-

October. milites frequenti numero, eques pedi-
 & tesque, currus itidem annonari Ulmam
Novemb subintrarunt, coemptum omnis generis
Anno annonam, vestimenta, & cæterum ad mili-
1646. tiam spectantem apparatus in castra sub-
 vectum. Circiter hæc vero 24. Octobris
 Cæsareorum Bavaricorumque Castrorum
 primarium hospitium Aichæ adhuc, Sue-
 cicorum Gallicorumque inter Lauingam
 & Ginsburgum fuit.

Vigesima sexta Octobris, quandoqui-
 dem Cæsarei Bavaricique exercitus Stein-
 dorffio & Mähringio movebant, Lycoque
 flumine ad Landsbergam superato, circa
 Babenhufium, quod est in Comitatu
 Weissenhorn, conspecti fuere; quare Sue-
 cicorum turmæ ex primi agminis militia
 collectæ, quæ ad Thainhufium subsiste-
 bant, in Cæsareorum militum manipulos
 crebrastentabant incursiones, ut nemini
 non visum fuerit, post exigui temporis in-
 terventum, inter utriusque partis exerci-
 tus, cruento, ut credebatur, prælio concer-
 tatum iri. In quem finem Suecici quævis
 sua impedimenta, curribus carrisque con-
 gesta, ad tuta convehi fecerunt, & Wran-
 gelius Generalis conjugem suam, cæte-
 rumque amplius Gynæceum, sub valido
 aliquot centenorum præsidio Noriber-
 gam,

gam, alii Nordlingam ajunt, transportari mandavit. October!

&

Novemb

Anno

1646.

Accidit verò brevi post, cùm sæpiùs memorati Confœderatorum exercitus de Cæsareanarum Bavaricarumq; copiarum adventu certiores facti fuissent, ut habito quantocyus bellico consilio simul partem impedimentorum Nordlingam transvehi jusserint, id quod hostibus credendi ansam præbuit, fore, ut confœderati illa confestim subsequenti sint, quandoquidem integra illa die in acie formata & ordinata constiterant. Per hoc itaque Cæsareanus & Electoralis miles seductus, Ulmam versus iter iniit, pedemque duarum circiter horarum digressu fixit; quod dum Suecicis atque Gallis innotuit. Mercurii 31. Octobr. n. st. sub intempestam noctem, sine subflatis & lituis & impulsis tympanis castra furtim moverunt, lectoque per Burgavianam ac Comelinam valles itinere, versus Kirchhainam & Mindelhemium procedentes, oppida illa, ut & Landsbergam occuparunt, & præterquam quòd in hoc præsidium Bavaricum interceptum, non spernendus quoque currum numerus (volunt aliqui septingentos fuisse:) vestimentis pro milite, farina ac alia annonâ onustorum in victorū manus incidit. Hoc

D

s

facto,

October. facto, universi exercitus signa per pontem
 & Landsbergæ Lyco instratum jamque repa-
Novemb ratum traducta, quæ Monachium via est, i-
Anno ter legerunt, cujus agri incolæ quoniam
1646. magno jam numero ad sua redierant, non
 levia ab illis spolia parva, atque ingens præ-
 da cōgesta est. Nihil autem in Bavaria mo-
 ræ tractum est, verum ubi paucis post die-
 bus exurendo circumcirca molendina
 non tenue datum damnum, pes ulterius
 prolatus, oppidisque Fuffena, Schöngavia
 & Landsberga, post redemptum incen-
 dium, expilatis, atque ex locis singulis, ob
 non numeratam ex tempore pecuniam, ci-
 vium primariorum quibusdam abductis, à
 Lyco amne supra Augustam discessum, Cæ-
 sareis Bavaricisque interea circa Schroben-
 benhusium & Hohenwertham sua quo-
 que castra moventibus.

Mindelhe-
mia arx
excitatur.

Medium Octobris currebat, ubi Sueci-
 cus miles firmissimam illam Electoris Ba-
 variaræ arcem Mindelhemiam incurrit, &
 post aliquam ex tormentis etsi levissimam
 oppugnationem pacta deditioe expugna-
 vit, in qua annonæ & apparatusum tormen-
 tatorum bellicorumve non exiguus reper-
 tus est proventus: qua re feliciter gesta
 Ginsburgum castra translata sunt, & cum
 hic loci moræ nonnihilum tractum esset,

Mem-

Memminga quidem incurſa, aſt ob virtu-
tem contra oſtenſam domari non potuit,
præſidii Ephoro, Domino tribuno Erlſta-
dio, cum ſuis, quos adjunctos habebat,
nongentis ſclopetariis, trecentisque equi-
tibus, urbem ſuæ fidei & fortitudini con-
creditam maſculè defendente.

October
&
Novemb
Anno
1646.

Ne igitur tempus inanibus traheretur a-
ctionibus, Babenhuſium tranſitum eſt,
quo pertacto, Sueci inibi primariam ca-
ſtrorum ſtationem, aſt Weiſſenhornia
Galli ſtatuere, peditatus autem circa Gins-
burgum, equitatus uſque in Lauingen-
ſium agros hoſpitatum diſtributus.

Sub id tempus Wittenbergius, polior-
cetes famoſiſſimus, cum adjuncto commi-
litio regio, per Sileſiam & Bohemiam non
temnendos progreſſus fecit, quippe poſt
rem ab aliquo tempore non infeliciter ge-
ſtam, ſuprà ut innuimus, numeroſa tùm e-
quitum peditumque dimacharum catervâ
ſtipatus Jaromirio Kuttenbergam uſque,
quæ eſt in Bohemia regno, excurrit, in ani-
mo habens tres illas ex Cæſarea militia le-
giones, quæ in illa vicinia tunc hoſpitaban-
tur, ſubitanea incurſione opprimere; aſt
cùm ob exploratum hoſtium adventum a-
lio conceſſiſſent, ad officinam excocto-
riam vulgò *der Schmeltshütte* nonnihi-
lum

Wittenber-
gius in Sile-
ſia & Bohe-
mia non te-
mnendos
facit pro-
greſſus.

October. lum substitit , oppidoque Kuttenbergæ
 & non tantummodò quantitatem panis , sed
Novemb etiam mille Imperiales numerata pecuniâ,
Anno tria autem thalerorum millia , ne ignis inji-
1646. ceretur , in obligatione literis concepta ex-
 torfit. Illinc , ut tributariam sibi redderet,
 ad Glatzium recessit , & nisi Comitatus ille
 36000. Imperialium stato die numeret,
 ferro & igni executionem se quæsiturum
 comminatus est , cui malo ut in tempore
 obviam iretur , Status illi , locorumque
 Præfecti , certum quendam ex suis ad Co-
 mitem Colloredium Pragam amanda-
 runt , petitum consilium quid hac in re fa-
 ciendum aut omittendum. Wittenbergici
 autem circiter hæc in Hafelschwera hospi-
 tantes locis conterminis non exigua da-
 mna dederunt.

*Hafel-
 schvverai-
 gnibus de-
 venusta-
 tur.*

Cæsarei , qui Glatzium præsidio tene-
 bant , quamprimùm hostes Hafelschvveræ
 hospitari intellexerunt , conducto quanto-
 cyus milite , valida cum cohorte illuc ex-
 euntes suburbiis Vulcanum immisère ,
 quod incendium adeò sæviit , ut ex conce-
 pto igne quarta civitatis pars in cineres
 subsedisse perhibeatur , de qua re ex prima-
 rio commilitii Wittenbergici hospitio
 Schönbergæ de dato 22. Octobris sequen-
 tem in modum scribitur:

P.P.

P. P. Quo successu & modo Neustadium October. in Bohemia (cui loco Centurio octoginta secum & habens milites præerat:) non ita pridem occu- Novemb
 pata, non dubium est, quin jam innotuerit. Ab Anno
 illo tempore, dum cum copiis circa Dobruscam 1646.
 substitimus, tribunus Pegeius cum legione sua,
 turma unica phalangis Endiane, & dimachis,
 equis nec dum instructis, hospitia assignata
 questum, in Comitatum Glatzensem excur-
 rens, Hafelschvvera stationem mansionem ve-
 fixit. De quo uti ad Glazenses perlatum fuit,
 presidij illius Ephorus occasionem hostibus in-
 commodandi non præteriens, cohortes volun-
 tarias, quas vocant, in universum trecentos
 quinquaginta equites, cum valida ducento-
 rum circiter sclopetariorum manu illuc aman-
 davit, qui locum noctu de improvviso incurren-
 tes, duas portas insititiis tormentis (Gallis
 Petards dicuntur) aperuere, oppidumque ad
 unicam usque domorum lineam, ut & subur-
 bia ipsa ad motis facibus turpiter devenusta-
 runt, quibus tamen per nostros adeo fortiter oc-
 cursum est, ut coacti fuerint, re infecta & sco-
 po minimè tacto, præter octo ad portas vi crepi-
 tatorum reseratas occisos, cum duobus cur-
 ribus sauciatos mactatosque vehementes pedem
 referre.

Adhæc post exustos per Moraviam lon- Troppavia
 gè lateque non tenuis momenti pagos, vil- nullo succes-
 las ac susensata.

October. las ac oppida, Wittenbergici Troppavia
 & quidem vim etiam intentare ausi sunt, tor-
Novemb mentisque incolas non nihilum molestare:
Anno ut verò viderunt, prædiarios, quibus
1646. Warloffskyus tribunus mandata ferebat,
 non leviter resistere, cognitoque Comi-
 tem de Montecuculi ex hospitiiis suis pe-
 dem protulisse, & propè Landscronam in
 confinibus Moraviae Susam, in militia Cæ-
 sareæ vigiliarum Præfectum Generalem,
 qui distributas per Austriam Cæsarei com-
 militii cohortes collegerat, in belli socia-
 tem adscivisse, relictisque per diversa op-
 pida omnium legionum impedimentis,
 peditatum beneficio equorum vectario-
 rum in equitatum convertisse, ut Troppa-
 viam ab obsidione certius liberaret, ab ul-
 terioribus cessatum hostilitatibus est, itine-
 re Olmuzium versus instituto; cuius loci,
 & reliqua ejus regionis præsidia Suecica ex-
 cursione denuò in agros Austriacos usq; fa-
 cta pecorum omnis generis ingentem co-
 piam abegere, ne dicam de cætera præda o-
 pima, quam amplissimis spoliis onusti con-
 quisiverunt.

Nec verò involvendum silentio est, ut
 dictus Wittenbergius Leobschützio & Zi-
 genhalsa præteritis Ottomachaviam petiit,
 quam cum militibus diripiendum reliquis-
 set,

set, die 28. Novembris cum universi exer- October.
 citus signis per pontem antea quidem de- &
 jectum ast modò resectum transiit, arce- Novemb
 que & aula ad Episcopum Nissensem spe- Anno
 ctante, post levissimam oppugnationem 1646.
 29 ejusdem potitus est, in qua reperti per-
 hibentur frumentorum moduli 4500. il-
 linc Leobschützium transvecti.

Huic addendum est, circa hoc idem an-
 ni tempus Wallerstorffii, I. horulæ à Glat-
 zio digressu, ubi tunc tribunus Dewagius
 hospitabatur, incendium per negligentiam
 noctu erupisse, quo perierunt centum &
 novem personæ, inter quas fuere septua-
 ginta filii filiæve, nec non Nobilis illius
 Conjux puerpera, unà cum infantulo re-
 cens nato, omnes seu flammis combusti,
 seu fumo miserè suffocati: simulque De-
 wagius omnis supellectilis suæ pretiosioris
 & equorum jacturam multo auro non re-
 dimendam fecisse scribitur.

*Incendium
 damnosissimum
 Waller-
 storffii.*

Undecimâ Octobris Sagunti seu Sara-
 gosæ moriebatur Regis Catholici unigeni-
 tus filius, intra quatrimum, pustularum ut
 ferunt, malitia extinctus.

*Hispaniarum
 Regis filius
 unigenitus
 moritur Sa-
 gunti.*

Tum etiam Serenissimus Elector Bran-
 denburgicus cum triginta rhedis, viginti
 curribus impedimenta vehentibus, toti-
 demque equis manuariis, quos vocant,
 duo-

*Electo BrA-
 denburgi-
 cus in Ha-
 noveram
 splendide*

October. duodecim tubicinibus & duobus æneato-
 & ribus, præter cæterum ingentem comita-
 Novemb tum Hanoveræ appulit, quem Dux Chri-
 Anno stianus Ludovicus sex equitum turmis &
 1646. decem vexillorum sclopetariis stipatus in-
 introduci- ter festivas congratulantium tormento-
 tur. rum displosiones in civitatem introdu-
 xit.

*Merces No-
 ribergam
 avehenda
 diripiun-
 tur.*

Senescente Octobri, centum quinquaginta equites (nescitur ex qua militia) propè Embskirchiam, quatuor milliarium via à Noribergensibus distitam, in merces Noribergam ex nundinis Francofurtensibus avehendas incidentes, omninò eas diriperunt, damno, quod inde contractum est, præter equos omnes ablatos, & personas plumbo ferrove occisas, cum multis millibus non extinguendo; quarum residua pars per agros sparsim relicta 27. Octobris in urbem convecta est.

De Leridanæ obsidionis progressu, pagina ni fallor, sexagesima septima libri præcedentis postremum retuli: sequitur impresentiarum quamvis via & ratione Hispani in præsentem mensem ejus loci liberationem non tantummodò tentarint, verum & felici eam effectui dederint, de quo narratio, quam fieri poterit, brevissima instituetur.

Acci-

Accidit verò ab illo tempore, quo po- October.
 stemum de obsidionis hujus progressu di- &
 xi, quod Gubernator Leridanus, emissio Novemb
 quodam die speculatore, per literas ei tra- Anno
 ditas Regi Hispaniarum loci & munimen- 1646.
 ti hujus momenti maximi statum significa-
 re intenderit, qui cum in Gallorum manus
 captivus incidisset, suspendium precibus
 deprecatus, & juxta pollicitus est, quòd si
 vita ei prorogaretur, rem omnem, utut se-
 se in urbe habeat, se explicaturum; qua
 promissione facta simul literas sinu prola-
 tas, quas Regi ferre debuerat, obtulit, qua-
 rum argumentum in hoc potissimum con-
 sistebat, nisi per brevi succurratur obsessis,
 ipsos coactum iri Gallorum dedititios fieri.
 Licet verò hac in re nihil actum sit, Hispani
 tamen toti in eo fuerunt, quomodo li-
 berationem ejusmodi importatissimi mu-
 nimenti proximis diebus susciperent; undè
 septima Octobris rumor in castra Gallo-
 rum perlatus, obsessores certiores fecit,
 Marchionem Leganesium militiæ Hispani-
 cæ Imperatorem in planitie quadam pro-
 pe Fragues exercitum, qui 25. armatorum
 millibus constare audiret, & cui tormen-
 ta majora triginta adessent, lustrasse. Ad
 quem contrahendum exercitum Hispani-
 latè circum præsidia conduxêre, & in quan-

E

tum

October. tum fieri valebat, Arragoniæ regnum mili-
 & te nudarunt, ex mandato regis pro libera-
 Novemb tione urbis vitam & sanguinem periculo
 Anno exposituri.

1646.

Quandoquidem ergò Regis Hispaniæ
 expressum mandatum erat, Leridam, ceu
 maximi momenti locum, & in quo non
 parùm situm, ab obsidione liberare; in
 quem finem etiam 8000. militibus, & qui-
 dem cuius certum officium promississe scri-
 bitur, si fortes sese gesserint, & hostes è ca-
 stris suis profligaturi essent; quare dictus
 Marchio Leganesius omnes suas actiones
 sæpiùs ut ferunt confitendo, eò disposuit,
 ut cognosci potuerit, mori ipsum potiùs
 constituisse, quàm urbem obsidio non exi-
 mere. Ut igitur rem cautius ageret, suum-
 que propositum effectui daret, postquam
 9. 19. Novembris universi exercitus copias
 ad Sicurim amnem in aciem constituisset,
 sequente die reditum per eundem fluvium
 simulabat, sed ea ipsa nocte circiter
 undecimam ubi furtim ad Gallorum castra
 pedem promovisset, deprehenso excubi-
 tores in officio suo negligentes esse, uno o-
 mnium agmine impetum fieri iussit, quo
 sine notabili strage, & non ita multa cum
 difficultate in castra hostilia perripit, quã-
 vis Gallis mordicùs ea defendentibus ter-
 tia

tia vice recedendum fuerat. Interim Dux October
 de Cordrana ab altero latere, cum 6. ad 7. &
 armatorum millibus fortalitium Rebba-Novemb
 num aggreditur, fortiterque pugnando e-Anno
 jus potitur, & licet Galli ter institerint, ut 1646.
 Hispanos inde depellerent, atque adeò us-
 que ad quartam illucescentis diei horam
 magno cum ardore decertaverint, omnem
 tamen operam perdiderunt, eaque occa-
 sione quinque legiones pedestres, eque-
 stres duæ, Hispanorum verò tres interneci-
 na clade deletæ sunt, id quod Harcurtium
 Generalem & Catalonia Pro-regem (ex
 cujus commilitio ultra centum majorum
 gentium Officiales interierunt partim, par-
 tim sauciati atque capti sunt, ne dicam de
 gregariæ militiæ commilitonibus, quorum
 ampliùs duo millia trucidata esse fama fer-
 tur. Hispanis in prædam cum cæteris spo-
 liis venerunt machinæ fulminales circiter
 septuaginta, quarum in numero fuere duo-
 decim illa grandiora tormenta, Divorum
 Apostolorum nominibus appellata, è Per-
 pignano munimento nuper de vecta: ad-
 hæc frumentorum farinæque sacci ter mil-
 le, & omnia impedimenta, solique anno-
 narii ac reliqui institores campestris da-
 mnum passi, quod 400000. librarum pre-
 tio non resarciretur:) movit, ut cum con-

E2cisi

October. cisi exercitus reliquiis Balaquieram se re-
 & traxerit, & 13. 23. ad Cerveram appulerit,
 Novemb Lerida (cujus Gubernatori Hispaniarum
 Anno Rex, ob virtutem hostibus ostentam, sex
 1646. scutatorum millia in redivibus annuis or-
 dinavit, Marchionem verò Leganesium, in
 præstitæ liberationis compensationem, su-
 premum generalemve quorumvis armo-
 rum Hispanicorum Locumtenentem con-
 stituit:) quæ obsidionem per integram æ-
 statem atque autumnum, in octavum usq;
 menslem fortiter pertulerat, hunc in mo-
 dum feliciter liberata.

*Belli Cre-
 sensis sta-
 tus.*

Ab illo tempore & die, quo Turcæ quo-
 que propugnaculo Canæ, annonam, mili-
 tes & apparatus bellicum in illud navigiis
 invehentes, succurrerunt, quantum qui-
 dem ad nos perlatum, nihil memorabile
 gestum extat, nisi quod infideles brevi post
 ad Sudanum munimentum accedentes,
 ratibus in illud impetum facere annixi
 sunt, id quod tamen ad votum minimè re-
 spondit, quippe potiori ex parte Neptuni
 sacrati misere perierunt. Eò loci Serenissi-
 ma Venetorum Respublica vestes 4000.
 calceorum paria 15000. deportari fecit,
 Mahometanique commeatu & instructu
 bellico triginta duabus triremibus & navi-
 giis minoribus, quas Schaluppas appellant,
 quin-

quinquaginta advectis, Caneam denuò **Novemb**
 sublevarunt. Classis Venetæ Navarchus **Anno**
 Dominus Capello, quoniam apud Sena- **1646.**
 tum supplex petierat, liceret sibi ob decre-
 pitam ætatem Generalis provinciam depo-
 nere, in ejus locum surrogatus est Domi-
 nus Johannes Baptista Grimmani. Præter-
 ea hoc mense duplicia nuncia ex Creta In-
 sula Venetias allata sunt, Turcas cum exer-
 citu viginti armatorum millibus valente,
 Venetos propè Retimium, quod septem
 milliaribus à Canea distat, navali pugna in-
 valisse, & in ea, præter 5. aut 6. trucidato-
 rum millia, utrosque Generales, Andream
 Cornaro & Philippum Molino, cum com-
 pluribus aliis belli ministris, concidisse, &
 licet urbem Retimium in potestatem qui-
 dem suam egerint, in Castellum tamen ni-
 hil adhuc ausos, nec pugnam hanc Turcis
 incruentam evenisse.

Confirmatum prælium est subsequen- *Retimium*
 tium dierum nunciis, & juxta relatum, ex *per Turcas*
 militia quidem Veneta ultra 4000. à parte *expugna-*
 autem Turcarum circiter sex millia cum *tror.*
 aduncto Bassa occubuisse, in quorum ma-
 nus suburbia quidem Retimiensium inter-
 cepta incidissent, ad arcis autem urbisq; ex-
 pugnationē oblesores adhuc in procinctu
 esse. Quandoquidem ergò in obsidione

Novemb dictorum locorum Turcæ omnem operam
 Anno collocarunt, magnoque in castris numero
 1646. adaucti oppugnando frequētes fuere, post
 tertium demum incursum prævia capitula-
 tione, quam tamen leviter observasse asse-
 runtur, arci æquè ac urbi deditiois neces-
 sitatem imposuerunt, in quibus, præter
 comneatum quàm bellicorum quàm anno-
 nariorum ingentem proventum, circi-
 ter 100. machinæ repertæ sunt. Fidem e-
 quidem Mahometicolæ dederant, se præ-
 sidium saluum & securum dimissuros, pro-
 missorum verò obliti exeuntes Venetos nõ
 solummodo reculis suis emunxerunt, & ve-
 stimentis, quod minus honestum in militia
 ducitur, spoliarunt, sed & ad 200. ferro seu
 plumbo morifecerunt, quorum Ephorus
 Minottus, qui durante hoc obsidio pericu-
 losum accepit vulnus, eò quod contra ac-
 cepta mandata, & Neapolitano Nobile
 della Marta aliud suadente, in transactio-
 nem ingressus fuerat, ex jussu Venetæ Clas-
 sis Generalium Candiaæ arresto constrictus
 fuit, ubi brevi post illum accepti vulneris
 malitia extinxit.

*Rhodiorum
 triremes fe-
 liciter pu-
 gnant.*

Insuper hæc Rhodiorum triremes navi-
 gium quoddam, quod à sacrosancta Trini-
 tate nomen gerebat, & machinis fulmina-
 libus sedecim munitum erat, & aliam na-
 vem

venem Bonaventuram appellatam, quæ sub Novemb
mandatis Petri Michaëlis Senatoris Veneti Anno
150. milites, certam auri summam & am- 1646.
plum commeatum in Candiam portare
debebat, captivas Constantinopolim de-
duxerunt.

Cognoscentes itaque Veneti, Turcis
belli negotia ad votum ferè succedere, sua
verò magis magisque successu carere, col-
locata in Deum fiducia tanquam ad sacram
anchoram adcurrentes, Ducatorum tria
millia inter egenos distribui fecerunt, &
supplicationibus in Divi Marci æde ad su-
peros institutis, ad averruncandam supre-
mi Numinis iram, precibus ac jejuniis no-
cte dieque vacarunt. Dehinc quatuor ejus
Reipublicæ curtores in diversa regna a-
mandati sunt, significatum nimirum im-
possibilitatem belli contra juratum hunc
Christiani nominis hostem continuandi,
addita relatione, in hoc amplius triginta
duos milliones impensos esse, & nisi in
tempore auxilia mittantur, procul dubio
Rempublicam ad actum iri, cum hostibus
aut inducias pacisci, aut pacem auro redi-
mere, id quod tamen absq; insuperabili da-
mno ac detrimento, imò sine maximo to-
tius orbis Christiani pudore fieri non pos-
sit.

Novemb
Anno
1646.
Belli Dal-
matici pro-
gressus.

Idem ferè tunc , at parùm felicior belli in Dalmatia status. Ibi locorum (sì literis Venetiis ad nos transcriptis fides adhibenda est.) miles Venetus à Turcis Zaram veterem recuperavit, infidelium aliquot centenos, & inter illos quatuor Aghas, mactavit, Bassæ autem Bosnensi, cùm partem exercitus Sebenico admoturus esset, octingenta circiter plaustra pabulum vehentia admotis ignibus exussit. Memoratum Sebenicum seu Sicum, quod in maris Scardonici sinu ad radices cujusdam montis situm est, supra quem firmissima arx conspicitur, hoc tempore Turcæ angusta obsidione cinxerant, obsessisque non tenuè negotium facebant, cujus tamen defensionis Baro Degenfeldius Generalis Venetus adeo vigilanter attendit, ut Rempublicam illam persuadere non dubitarit, si præter quinque militum millia, quos tunc secum habebat, totidem aliis fulciri posset, nullum sibi dubium suboriri, quin universa hostium castra, circiter triginta armatorum millia in se habentia, profligare valeat; cui & hoc accedit, quod in unica, quam tentaverat, eruptione quingentos equites Turcicos delevit, ex commilitio suo non nisi 50. jacturam passus. Postquàm ergò dictus Bassa Bosnensis in oppugnanda Se-

da Se-

da Sebenico fortunam bis adversam ex Novemb
 pertus esset, eapropter copias suas in Tur- Anno
 cicum agrum retraxit, exercitusque qui 1646.
 Sudano munimento hucusque incommo-
 daverat, subductis navibus Caneam pe-
 dem retulit.

Nec etiam Poloniae Rex in armorum *Polonici*
 contra Turcam depositione acquiescere *contra Tur-*
 volebat, quin potius proposito suo firmi- *cas suscepti.*
 ter insistens militum conscriptiones acriter
 per regnum hinc inde continuari manda-
 vit, non attento quod Status & Ordines (u-
 ti in p^{re}cedentibus passim dictum est) ma-
 nibus pedibusque reluctarentur, veriti ni-
 mirum, ut ne per hoc ipsum universo re-
 gno insupportabile onus imponeretur.
 Susque deque tamen hoc habito, Rex af-
 firmabat, se propositum suum in proximis
 Comitibus, quae in Novembri Warsoviae
 celebranda indixerat, justificaturum; quo
 fine etiam, ubi 15. Septembris Warloviam
 reversus fuerat, altero mox die in arma-
 mentarium se conferens, machinae & o-
 mnis tormentaria res (quam novus regio-
 rum armorum Magister Artizevsky pau-
 lo ante eò reduci fecerat juxtaque dixerat,
 nunquam se permissurum, ut absque con-
 sensu Reipublicae ad confinia devehantur.)
 contrario mandato jussit, ut ex armamen-
 E s tario

Novemb tario ablata Lembergum, quæ est in Russia,
Anno ad habendum ibi militum delectum, ab-
1646. portarentur, num autem factum sit, de hoc
certi nihil referre possumus.

*Comitia
Polonica
Warsovia
celebrata.*

Post hæc die 25. Octobris Comitiiis su-
prà dictis initium datum; qua die post cele-
bratum Missæ officium, cultumque divi-
num ritè peractum, in conclavi demùm,
quod vulgò *die Landsbottenstuben* appel-
lant, Marescallus electus, ac porro per Ma-
gnum regni Cancellarium propositio facta
est, cujus argumentum in his potissimum
consistebat, quod ante omnia Regia Sua
Majestas de diffidentia & perversa inter-
pretatione Statuum erga se vehementer
conquesta est affirmando, apparatus bel-
licos, qui in hunc usque diem facti sunt, in
nullum alium finem directos esse, nisi ut
atheï illi populi & gentes Turcæ ac Tartari
non nihilum frænarentur, occasione arre-
pta ex bello, quod Moscovitæ ex præsentibus
cum ipsis gerunt. Et quandoquidem Co-
rona in inevitabili periculo versetur, certa-
que nuntia allata sint, Turcas ad invaden-
dum Poloniæ regnum ingentem appara-
tum monstrare; maximè necessarium fore,
ut in incepto parandi belli opere persista-
rent. Ad complendum autem ejusmodi ne-
gotium, pecuniâ opus esse, non tantum pro-
militæ,

milite, cui nec dum satisfactum, sed & pro Novemb
iis, qui in confinibus regni hærent, & ulte- Anno
rius in militiam adscribendi veniunt. De- 1646.
inceps mentio quoque fiebat de pacis per-
petuæ cum Corona Sueciæ transactione,
ad quod maximi momenti negotium pro-
movendum Dux Curlandiæ ceu Mediator
sua offerre deprehendebatur officia, pro-
mittens se in hanc rem apud Coronæ Sue-
ciæ Senatores nullum non lapidem motu-
rum: quo fine ex Cancellaria literas publi-
cas auctoritate Procerum Poloniæ acce-
pit, in quibus illum amicè adhortantur, ne
à tanto proposito desisteret, sed per hoc i-
psum de Corona Poloniæ bene se meritum
redderet; cui pertractando negotio Fran-
cofurtum ad Viadrum assignata est. Ter-
tiò, de reformatione restitutioneque mo-
netarum, nec non de adulterina removen-
da actum. Quartò, de dotalitio Reginae,
vulgò *dem Leibgeding* deliberationes ha-
bitæ, petitumque ut illud cum defunctæ
Reginae idem esset, cui tamen petito Status
Ordinesque calculum adjicere recusarunt.
Quinto disputatum de Principissæ Neo-
burgicæ nec dum ex soluta numerata ve do-
te, ac denique sextò de Principe Casimiro,
nuper ad Cardinalitiam dignitatem eve-
cto tractatum est, ut ei non tam in totius
Coro-

Novemb Coronæ Nationisque Polonicæ laudem;
Anno quam Ecclesiæ honorem, aliquid singulare
1646. constitueretur.

In sex modò enarratis articulis regia propositio potissimùm constitit. Quantum verò capitula attinet, quæ Deputati regii in Conventibus Præfecturarum, juxta Instructionem à Rege datam, congregatis Nobilibus singularum Præfecturarum deliberanda propoluère, eorum argumenta in sequentibus continentur:

Primum tractabat de periculo Turcarum ac Tartarorum, & in quem modum illud aut divertendum aut præcavendum. Secundo agebatur, qua ratione tractatus pacis & confinniorum cum Mosco ad finem perfectionemq; perducipossint. Tertium volebat, ut Düneburgum in Livonia contra Suecica ejus regionis præsidia melius communiretur, eidemque de numerosiore præsidio prospiceretur. In quarto proponebatur, cum de amicitia & pace, quæ Corona Poloniæ cum Moscis intercedit, nulla sit securitas, ut Smolenskia Moscoviam versus firmioribus munitionibus tutior redderetur. Quintum injungebat, ut militibus, qui defendendis consinibus præsunt, exsolutis stipendiis satisfaceret. Sexto modus petebatur de ratione concludendorum consiliorum, ne Comiticia ceu antehac factum, absque fructu disicerentur.

ventur. Septimum de dotalitio Regina pertra-
 ctando monebat. Octavum statuit, ut Praefe-
 cturis, vulgò appellatis den *Baywodschaft*. Anno
 1646. ren / apud quas Regiae Suae Majestati promissa
 seu consensu pollicita gratitudo adhuc restat,
 realis praestatio injungeretur, eademque ad sa-
 tisfaciendum Creditoribus regis compelleren-
 tur. In nono continebatur, ne silentio prateri-
 retur, in quem modum Palatina Neoburgi-
 ca satisfactio dari possit, idque secundum
 transactionem literis conscriptam. Decimum
 injunxit, ut de Oeconomia seu tabula Regis
 ac Reginae melius instruenda deliberaretur.
 Undecimo jubebatur, ut de saepius repetito de-
 bito Principi de Croy exolvendo ageretur. Du-
 odecimum militi ad confinia excubanti neces-
 saria eaque certa vivendi & sese sustentandi
 media proposuit, ne sub pretextu hybernorum
 hinc inde discursando civibus ac ruricolis mo-
 lestia essent. Decimum tertium moneta mu-
 tationem meliorationemque praecipiebat. De-
 cimo quarto cavebatur, ne tribunal jure pa-
 tente jurisdictionis plus haberet. Decimo quin-
 to sancitum, ut Confiniarum Commissarij sin-
 gulari sacramento obligarentur. Decimo sexto
 conclusum, ut in illos, qui ob facta violenta, &
 invisiones bonorum alienorum per vim, infames
 sunt aut proscripti, gravius animadver-
 deretur, nec executio diu suspenderetur. Deci-
 mo

Novemb
Anno
1646.

mo septimo transactum, ut de electione officio-
rum ministeriorumve provincialium certa &
ordinata constitutio fieret. Postremum vero
iussum est, quandoquidem remissa causarum,
Fisci & thesauri nimis fuerint accumulata, ut
in presentibus Comitibus ex toto decidi neque-
ant, quapropter ex utriusque Ordinis Statibus
Deputati nominarentur, qui in eorum deci-
sione aliquot post finita comitia septimanis la-
borent. Hæc inter Nobiles & Præfectura-
rum Magistratus deliberanda venerunt.

Dicendum restat de Comitiorum, quæ
finierunt octava Decembris, Constitutio-
nibus, quæ sunt sequentes:

Primum, militie dimissionem in quantum
concernit, Regiam Suam Maiestatem omnes
& singulos milites, quos ab aliquo tempore, ex
paterna cura & optima in regnicolas propen-
sione intentioneque, periculosis hisce temporibus
ad regni defensionem ad aliquot millia con-
scribi fecit, subditis, ut qui alia sese defendendi
media apud se excogitarunt, demisse ita peten-
tibus, vigore presentis constitutionis, sacra-
mento exsolvere atque dimittere, constitutis
certis Commissariis, qui à conscriptis signa &
vexilla recipiant: iuxta quod Starostis &
Woywodis similiter iniunctam, ut auxilio
Nobilitatis, secundum constitutionem anni
1646, & 1609, quosvis illos, qui intra qua-

inordecim dierum post conclusa comitia ex- Novemb
 cursum regno non excefferint, hostiliter prese- Anno
 querentur. Officiarij, quotquot eorum regni 1646.
 incole sunt, si ultra definitum dierum 14, ter-
 minum apud militem commoraturi fuerint,
 infames haberentur, eorumque bona ac facult-
 tates fisco regio adscriberentur. Iuxta quod
 Regia sua Maestas ulterius promisit, se in po-
 sterum ab eiusmodi conscriptionibus, nisi Sta-
 tus Ordinesq; in eas consentiant, abstenturam,
 nec sigillo Camera in publicis universam Co-
 ronam concernentibus posthac amplius usu-
 ram. Similiter, alienigenas se ab aula remotu-
 ram, Oratores apud exterar Coronas & Prin-
 cipes revocaturam, nec custodiam corporis
 pluribus 1200 militibus, usq; indigenis con-
 credituram dixit. Secundo, quod attinet satis-
 factionem Lithuanis, ob surreptionem provin-
 ciae Trubezkanorum, faciendam, res in eo, de
 quo iam ante pertractatum, statu relicta est.
 Tertio equum esse conclusum est, Quartianis
 militibus satisfieri, non attento quod ipsis
 1145639. floreni in restantibus debeantur.
 Quarto inter Procere convenit, in secundum
 Maium anni presentis Conventum, qui non
 amplius tribus septimanis absque tamen solen-
 nitatibus duret, indicere, in quo de defensione
 regni, desideriis privatis & gravaminibus dis-
 sidentia Gracorum, & id genus alius delibere-
 tur.

Novemb^{ur}. *Quinto*, Dotalitium Reginae esto secundum tenorem constitutionis anni 1593, idque quoniam utrique Poloni in aliud consentire detrectant. *Sexto*, Confinia cum Mosco approbata, Legatique in Moscoviam constituti, petitum commissionem, eius beneficio damna nuper in confinibus illata dignoscantur. *Septimo* cautum fuit, praesidio Smolenskyano debita stipendia persolvere. *Octavo* consensum, cum Corona Suecia tractatus de pace perpetua reassumere, certis constitutis Commissariis, qui negotium hoc componerent.

Præter hæc alia quoque fuerunt pertractata, sed cum majori ex parte personas privatas concernant, sicco ea pede transibimus, hoc solùm addentes, quòd paulò ante Comitiorum exitum militiae Polonicae Imperator Potozkyus non levis momenti literas, ad congregatos Warsoviae Status transferri fecit, in quibus se excusat, ob præsentaneum ac ingens hostium periculum se à finibus abesse, nec præsentibus Comitibus, etsi rei necessitas flagitasset, interesse potuisse, summoperè petendo, ne pericula Coronæ imminencia pro levibus haberentur, verùm de iis uti certissimis avertendis maturæ deliberationes instituerentur: & præterquàm quòd duplicem illam stragem, quam Moscovitæ passi sunt, confirmavit,

mavit, addidit Turcas Tartarosque trecentorum Moscorum capita cervicibus avulsa palis infixisse. Hæc de Polonia.

Novemb
Anno
1646.

Nunc verò ordo historiæ posceret suprâ dictis de rebus in militia Anglica, Scotica & Hybernica gestis narrationem subtexere; quandoquidem autem inter eas gentes nil relatu dignum accidit, & solummodò consilia eò comportata perhibentur, quæ via & ratione arma sisti componive, Coronæ inter se reconciliari, & inter Regem ac Parlamentum pristina concordia stabiliri possit; quapropter ulteriore eorum per- scriptione præterita mentionem faciemus, quo damno & successu inter utriusque Domus Hassiacæ copias die 9. 19. Novembris prope Franckenbergam concertatum sit, cujus acerrimi conflictus circumstantiæ sunt sequentes:

Postquàm Hassiaco-Darmstatinus Lo- cumtenens Generalis Eberstenius, cum quibusdam à Cæsareo Campi-Marescallo Comite ab Holzaffel ex Westphalia sub-

*Hassiaci su-
periores no-
tabili straga
affecti.*

missorum militum cohortibus, quæ in univ-
ersum mille quingentis equitibus con-
stabant, castris Giessena motis iter suum
versus convallem Breitenbacensem insti-
tuisset; & verò Geysius, militiae Cassellanæ
summus Præfectus, de hoc edoctus esset, à

F

vigi-

Novemb
Anno
1646.

vigiliarum Generali Magistro Suecico, Domino Gustavo Adolpho Comite Rasburgi & Falcosteniæ &c. petiit, ne commilitii sui partem Cassellanis legionibus adjungi molestum ferret, in quod non tantum facile consensit, sed & ipsemet forti manu auxilium præstitit. Dùm itaque Cassellanarum partium Pro-tribunus Motzius in mandatis accepit, ut Domum Rauschenbergam subsidio adjuncti commilitii & tormentorum ad obsequium redigeret, equitatus iter continuò ingressus est, Geysioq; invia per exploratores significatum, Eberstenium commissas copias Franckenbergam versus traduxisse, facturum procul dubio excursionem in superioris Principatus agros, atque ex illis spolia ac prædas ablaturum; quod ne fieret, Hassiaci inferiores, & quos in belli societatem adsciverant, Suecici iter suum noctu dieq; festinarunt, quod eò usque successit, ut die Lunæ 9. 19. Novembris sub intempestam noctem in nemore quodam Franckenbergæ ad sito appulerint, eaque in vicinia Darmstatinos ac Melandrinos sint assecuti. Sub diluculum ergò sequentis diei, Geysius, cui ut supra innuimus auxiliatrices manus porrigebat Comes Gustavus Adolphus, opprimendo excubias Darmstatinis & Melandrinis

Novemb
Anno
1646.

drinis turbas dedit, pede ad eorum statio-
nes ita propè perlato, ut Eberstenium, qui
cæteroquin per montes transiturus pericu-
lum evadere quærebat, statariam pugnam
inire oportuerit; sub cujus initium quamvis
Darmstatini unam atque alteram turmam
à se propulsarint, attamen hostium tanta
fuit pertinacia, ut mori potius quam victo-
riam non reportare decreverint. Vim igitur
diutius non sustinentes Hassiaci superio-
res, in fugam paulatim sese converterunt,
captivos post se relinquentes tribunos
duos, Legatos totidem, duos vigiliarum
Magistros, quosdam equitum Præfectos,
Vicarios, signiferos equestres, & alios
minorum gentium Officiarios, præter gregarii
commilitii milites, quorum ultra
quingentos fuisse asserunt. Adhæc in præ-
dam venerunt tum equitum tum prove-
hendis impedimentis destinati equi nume-
ro circiter septingenti, & præter duas ma-
chinas campestris vexilla equitum octo
ablata, quibus accedunt diversæ rhedæ,
pilenta ac spolia reliqua. Qua durante a-
ctione Suecicorum circiter triginta, Cas-
sellanorum nonnisi novem trucidati occu-
buere. Quæ verò & quanta clades à parti-
bus devictorum contracta sit, de ea adhuc
quidem certi nihil scribi potest. Altera &

F 2

tertia

Novemb
Anno
1646. tertia post die , utræque Domus VVol-
ckerstorffium & Raulchenberga, Cassella-
nis arbitrariam deditioem fecerunt, qua-
rum hæc destructa, illa verò præsidio com-
munita est.

*Electo-
r Branden-
burgicus
Hagam-
Comitis
venit.*

Proxima insequente die Jovis **12. 22.**
Novembr. Sole ad occasum vergente, su-
prà memoratus Elector Brandenburgicus
Hagam-Comitis præter omnium expecta-
tionem venit, ea ratione, quòd tres tantum
nobiles famulos secum habebat, nemini
cognitus. Serenitas sua ut primùm pedem
procatoni intulit, Principi Auriaco adven-
tum suum significari mandavit, qui cùm ad
semihorulæ spatium familiariter inter se
fuissent collocuti, Elector porrò per auli-
cum quendam Ministrum ad Conclave
Principissæ, in quo tunc cum matre filia
Ludovica morabatur, traductus transiit,
atque in idem, ejus præsentia prius nuncia-
ta, pedem promovit, & cum primùm Prin-
cipis Conjugem salutasset, mox etiam Prin-
cipissa Ludovica eum salvere jussit. Super-
veniens autem interea Princeps Junior
Guilielmus, Electorem salute dicta & ac-
cepta in conclave Parentis reduxit, quò si-
mul euntem Principissam Ludovicam Se-
renitas sua manu ducebat, eaque vespera
cum Principe cœna sumpta.

Die

Die Veneris 13. 23. hujus, Elector sum- Novemb
mo mane extra urbem equo ferebatur, quē Anno
paulò post Princeps V Vilhelmus, cum u- 1646.
niversæ aulæ proceribus, & quadraginta
circiter curribus sejugibus, pomposè intro-
ductum, usque in Concilium Statuum
congregatorum concomitatus est, ubi cum
Serenitas sua elegantissimam orationem,
eius non tam adventum quàm matrimo-
nium inter ipsum & Principissam Ludovi-
cam contrahendum, concernentem ha-
buisset, ad aulam demùm Auriaci rediit,
prandium cum Principe socero sumptura.

Posthæc & similia alia, septima demùm *Cum Au-*
Decembris n. st. matrimonium inter cre- *riaci filia,*
briùs repetitum Dn. Electorem Branden- *Principissa*
burgicum, & Principis Auriaci filiam natu *Ludovica,*
maximam, Principem Ludovicam contra- *matrimo-*
ctum, publico solennissimæ copulationis *nium con-*
actu confirmatum est, & quidem in aula *trahit.*
vetere termini Septentrionalis hora pome-
ridiana quinta; cui festivitati Principum æ-
què & Comitum, ac Principissarum Co-
mitissarumque, nec non cæterarum gravis-
simæ existimationis personarum amplissi-
mus ordo interfuit. Sponsus induebatur
veste è panno Attalico nivei coloris, fim-
briis argenteis Adamantibusque largissi-
mè intertexta. Sponsam exornabat tunica

Novemb ex panno argenteo, virgis argenteis undi-
 Anno que segmentata, cuius cauda seu limbus
 1646. octo ulnas longus à sex Comitissis Juven-
 culis sublevabatur, capite eius Corona ada-
 mantibus & unionibus distincta ornato.
 Post caremonias inter copulandum ritè
 peractas ad nuptiale epulum accessus fie-
 bat, septima circiter vespertina, Princeps
 verò Auriacus, qui ob adversam corporis
 constitutionem in conclavi suo solus cœ-
 naverat, spectatum choreas sella apporta-
 tus est, cuius adversa valetudo triumphum
 hunc non leviter vitiavit.

*Ejus de
 Principe
 Neoburgico
 petita.*

Pauci intercurrebant dies, cùm idem E-
 lector tubicinem Düsseldorfium ad Prin-
 cipem Neoburgicum amandaret, cogni-
 tum utrùm loca in Juliacensi provincia oc-
 cupata sponte restituere velit; hoc enim fa-
 cere si recusaret, sententiam stare ferro ea
 ad obsequium redigere, qua in re quid fu-
 turum sit, de eo suo tempore & loco plura
 dicentur. Cui addendum, quòd Confœde-
 rati Belgii Status & Ordines Generales E-
 lectori stipulato promiserunt, fore ut Cli-
 vienses urbes, nimirum Vesalia, Reesa,
 Embrica & alia ei restituantur, addide-
 runtque, si negotium seu lis cum Principe
 Neoburgico ex interpositione vicinorum
 amicabiliter componi nequeat, nunquam
 se de-

se defuturos ut per alia media ad illarum Novemb
 terrarum restitutionem pertingat, per quos Anno
 eosdem Status Conjugi Electoris novellæ 1646.
 annua pensio viginti millium floren-
 rum Hollandicorum ad dies vitæ constitu-
 ta dicitur.

De deditioe Padebornæ, Suecicis præ-Padebornæ
 terito mense Majo facta, & quomodo urbs Casareire-
 postea centenorum aliquot ex militia Caf-^{Casareire-}
 sellana militum præsidio, sub inspectione ^{cipiunt.}
 Protribuni Bentoni firmata sit, in præce-
 denti libro paginis 43. & 44. actum est. Se-
 quitur nunc, qua viâ dictus locus hoc men-
 se Hassiacis denuò ereptus sit, & in quem
 modum impressio illa evenerit. Ubi scien-
 dum est, postquam Protribunus Cæsareus
 Balduinus Remmontius, Weidenbrugæ
 p. t. Gubernator, ex diversis ejus vicinæ
 præsidiis centenorum aliquot militum si-
 gnâ clanculùm collegisset, & hos subsidia-
 riis Melandri cohortibus non tenuiter ad-
 auxisset, 22. Novembr. v. st. inter sextam &
 septimam matutinas dictam urbē in qua-
 tuor diversis partibus aggressus est, & licet
 ejus milites semel atque iterum cessim ire
 compellerentur, ab oppugnando tamen
 prius non destitit, quàm Hassiaci post qua-
 tuor horarum acerrimam reluctationem
 sese dediderunt, à quorum partibus occisi
 F 4 ferun-

Novemb
Anno
1646.

feruntur Centurio unus, gregarii circiter
quinquaginta, etsi literæ Cassellis 28. No-
vembris exaratae nō nisi de duodecim cum
uno, Centurione interfectis mentionem
faciunt. Inter captivum sanguinem fuere,
Protribunus unus, Centuriones tres, vigi-
liarum Propræfectus unus, Officiarii infe-
riores undecim, & præter centenos, qui
militiæ Cæsareæ nomina ultrò dederunt,
alii 262. sub signa transire jussi sunt, illinc
Weidenbrugæ & VVarendorfio illati. Da-
mnum, quod Cæsarei hac occasione con-
traxerunt, pertenuit fuit, quippe unicum
duntaxat signiferum & sedecim plebejos
amiserunt, quamvis occisorum fauciato-
rumque numerus in supradictis literis ul-
tra 120. extenditur. In urbe tormenta ma-
jora duo, Colubrinum unum, & machinæ
minores duæ repertæ sunt. Hassiaci autem
arcem Neuhusiam, non ita procul ab urbe
sitam, præsidio suo adhuc communitam
tenuere, in quam paucis antè diebus Vi-
carius quidam cum quinquaginta sclope-
tariis Lipstadio venientibus subintravit.

*Don-
overda de-
seritur &
recupera-
tur.*

De statu belli inter exercitus Cæsareum,
Bavaricum, Regiosque Suecicum & Gal-
licum in præcedentibus non nihil narravi-
mus. Ab eo tempore quando quidem Cæ-
sareæ ac Bavaricæ copiae cum primario ca-
strorum

strorum hospitio, & universis legionibus, Decemb.
 usque ad Borchemium ascenderunt, ac Anno
 pontem quendam navibus congestum ita 1646.
 instruxerunt, ut Suecici Dona werdam
 præsidio tenentes die tertia Decembris de-
 ferta urbe Lauingam transfugerint, & ne-
 mini visum non fuerit, Nordlingæ vim
 proculdubio intentatum iri, maximè cum
 hoc à Cæsareis Bavaricisque prætendere-
 tur, quapropter ulterius dicendum restat,
 quidnam ex illo die memorabile gestum
 sit; quod dum facere aggredimur, non abs-
 re erit, facti huius speciem ex epitome qua-
 dam literarum, quas VVrangelius Gene-
 ralis sexta Decembris Rainâ ad Nordlin-
 gensium Præfectum transferri mandavit,
 deducere, ubi inter cætera in hæc verba
 scribit: *A tempore ultimarum suarum litera-
 rum, heri Lauinga ad Dominum perscripta-
 rum, se & unâ Dominum Campi-Marescal-
 lum Tourainium, per pronam Danubij ripam
 Donavvertham versus descendisse, herique
 vesperi uno circiter milliari ab urbe appulisse,
 quò cum ventum esset, se continuo certum
 quendam ex suis Rainam amandasse, ut per
 tribuni Steinecceri nuncia de hostium actioni-
 bus porrò edoceretur, qui proinde presenti na-
 tæ literis referri fecerit, eos, quantum quidem
 ex transfugarum captivorumque relationi-
 bus*

Decemb.
Anno
1646.

*bus liqueat, cum exercitu suo heri castram-
viffe & Ingolstadium versus contendisse, etsi
diverse legiones ac postremi agminis turmae
adhuc in hac vicinia consistant. Qua re ex-
plorata se cum Tourainianis hodie sub ortum
diei iter promovisse, & ut hunc locum asseque-
retur, summoperè contendisse, copias verò cir-
ca meridiem propè Oberndorffium per pontem
Lyco amni injectum traductas esse. Hac ille.
Nunc igitur cum exercitus, qui in anteriori
agmine erat, parte transitu cis superato,
cùm unius circiter quadrantis à Raina di-
gressu adversæ partis postremas turmas,
quæ 2000. aut circiter equitibus consta-
bant, in conspectum accepisset, qui tunc
quidem iter summoperè accelerâtes, exer-
citus suum Neoburgum versus assequi
contendebant, cum legionibus, quæ Ly-
cum jam transierant, pressis vestigiis in-
stans, primùm quidem cis Borchemium
prope pagum Staudenâ eas assecutus est, &
cum animadverterent Cæsarei (quibus
tunc vigiliarum Generales Præfecti Pom-
pejus & Philippus Ductores præerant :)
Suecicos tanto cum fervore impetus mo-
liri, siquidem & ad dictum pagum, ubi Cæ-
sareus miles in editiore quodam ante vil-
lam loco, qua transeundum erat, pedem fi-
xerat, adeò vehementer institerunt, ut
nulla*

nulla prævia reluctatione in turpem sese Decemb.
 fugam conjiciens per montana dilapsus fu- Anno
 erit, quorum terga quoniam Wrangeliani 1646.
 acriter prementes, ad dimidium milliare
 à Neoburgo fugientes inlecuti sunt, non
 temnendam eorum partem ferro & plum-
 bo delerunt, quin etiam non paucos capti-
 vos obtinuerunt. Quare feliciter expedita,
 Suecici pedem retrahentes, prope Obern-
 dorfium per Lycum ponte traducti Rai-
 nam victores intrarunt. Dehinc Wrangeli-
 o visum fuit, Donaſwerdam novo im-
 misso præsidio communitate, in quem finem
 vigiliarum Præfectum Rosam cum pha-
 lange Brandeshagiana tribus Lauinga ab-
 latis navigiis imposuit, pronoque Danubio
 devehit fecit. Et quoniam ipse eodem, quo
 Rosius ejusque commilitones ad Dona-
 vverdam appulerant, tempore cum legio-
 nibus advenerat, nunciatumque fuerat, e-
 quitum quendam Magistrum ex legione
 Sporckiana cum sexaginta equitibus ur-
 bem occupasse, Rosio ac cæteris ejus com-
 militonibus è navibus prodire jussis, mu-
 nitionem ponti Danubiano conjunctam
 incurri mandavit, quo territi ejus propu-
 gnatores, portam illam continuo deseruê-
 re, fugâque in urbem dilapsi cum ab altera
 parte portis egredi laborarent, tanta cum
 festi-

Decemb. festinatione fugam accelerare non valuerunt, quin portâ Danubiana per Suecicos interim vi aperta unus & alter comprehensus fuerit.

Königsmarciani incurritur Campidoni.

Hospitabantur tùm temporis Campidoni octo turmæ dimacharum ex Königsmarciano commilitio, quos cùm excubias negligentius obire, Bavaricarum partium tribunus Casparus cognitum haberet, assumpta aliquot centenorum rusticorum cohorte, decima Decembris st. n. urbem stratagemate superat, tandemque post quatuor horarum acerrimum conflictum, in quo ex utraque parte ultra 100. cecidisse mortuos referunt, Bavarici victores facti, centum captivos, equos etiam majori ex parte ephippiis instratos non paucos, impedimentorum quoque partem, & octo vexilla, prædæ nomine obtinuerunt, quæ vexilla Baviaræ Electori postmodum Waserburgi oblata fuisse literis Augusta Vindellicorum 7. 17. Decembris exaratis perhibentur. Urbem verò in potestate sua conservare Bavarici non valentes, cùm Königsmarcum eam recuperatum in itinere esse intelligerent, ad tutiora sese contulerunt. Et quoniam pro certo affirmabatur, adminiculo nonnullorum civium Campidonensium impressionem hanc effectui datam,

datam, pro ablatis illis octo militum signis Decemb.
viginti quatuor Imperialium millia sibi nu- Anno
merari à civitate petiit, ferro & igni se 1646.
eam deleturum comminatus, ni pa-
reat.

Præterea iisdem diebus Augustanos ma- *Carmelita-*
gnum afflixit infortunium, dum s. 15. De- *rum Mona-*
cembris noctu Carmelitarum Monaste- *sterium a-*
rium ac templum, cum ingenti frumento- *pud Augu-*
rum inibi reconditorum proventu, repen- *stanos in-*
tino incendio correpta, intra paucissimas *condio de-*
horas, ad fundum usque deflagrarunt. *pascitur.*

Sub id Suecorum exercitus consul- *Sueci Lyco*
tum ducebat quævis ad Lycum amnem *moventes,*
nullius momenti loca deserere, copiasque *per Sueviã*
per convallem proximam in agrum Suevi- *ad Acroniã*
cum infundere, tentatum, si in ea vicinia *usq; lacum*
geri aliquid operâ dignum, & locus aliquis *perrum-*
munitus, ad Podamicum, quem alias A- *punt.*
cronium & Bregantium lacum appel-
lant, intercipi possit, qua in re Suecis fortu-
na admodum pulchrè favit. Nam ubi Do-
mino Campi-Marescallo Wrangelio, qui
tunc Leutkirchiæ hospitabatur, per emis-
sarias cohortes relatum, rusticos Breganti-
nos pone urbem Isniam, in munitionibus,
quas per illam sylvam diversas congesse-
rant, ut hostium insultus eluderent, magno
numero confluisse. 22. Decembr. cum bis
mille

Decemb. mille peditum, equitum verò mille signis,
 Anno & aliquot tormentis Leutkirchiâ progres-
 1646. sus, eo adhuc vespere ut ad Inniâ appulit,
 rem ita, ut nunciata fuerat, sese habere ipso
 opere deprehendit. Ut verò sequente die
 cum surgente aurora castra promotâ, & ad
 debellandos rustos intra montana pes illa-
 tus fuit, deprehensum est, præcedente nocte
 eos sese versus fauces Bregantinas recepisse,
 Suecis per hoc ansam nanciscentibus,
 quòd ea die iter suum ad trium horarum
 ab illis digressum, 24. verò Hofiam usque,
 unius quadrantis viâ illinc emetiri potue-
 rint.

*Faucibus
 ad Brigantium
 cum propugnatur.*

Vigesima quinta Decembris, in quam
 diem festum nativitatis Christi incidit, sub
 diluculū memoratus Archistrategus Wrā-
 gelius cum adjunctis copiis versus innutas
 movit, qui cū à læva præaltas easque di-
 versas rupes (quas Alpes appellant) impe-
 dimento haberet, in quibus rustici adver-
 sus incurrentes Suecicos commodè, & non
 nisi cū magno eorū damno propugnaturi
 videbātur, ceteros aliquot probatæ virtu-
 tis milites delegit, qui ascensu illas supera-
 re conniterentur, qui etiam rusticorum
 pertinaci reluctatione susque deque habi-
 ta, in cacumen usque penetrantes, felici
 successu defensores in fugam egerunt.
 Quan-

Quandoquidem autem rustici & infra ru- Decemb.
pem illam, quâ exuti fuerant, prope pa- Anno
gum quendam supra fauces filum probè se 1646.
obfirmaverant, ac munitionibus, quas *lori-*
cas appellant, usque ad rupem distensis
fruebantur, è quibus acerrimè adhuc resi-
stebant, Mortaignio Generali in mandatis
datum, ut auxilio adjuncti commilitii ho-
stes hac locorum commoditate privatim
egrederetur, id quod etiam dexterrimè
perfecit, rusticorum, tum qui suprâ, tum
infra rupem propugnauerant, non sper-
nenda parte mactatis.

Et licet cæteri hîc locorum in fugam *Imò Brigã-*
versi rustici, in aliam profundissima qua- *tum ipsam*
dam abyssu interstinctam, eamque itidem *et arcem*
alii rupi adjacentem munitionem, cuius *Pfannen-*
accessum pons quidam versatilis reddebat *bergam de-*
quàm-difficillimum, sese retrahere labora- *ditas acci-*
verint, fugientium tamen vestigia Suecici *piunt.*
tanta cum festinatione legerunt, ut levâdi
pontis nullo spatio relicto, hanc quoque
itineris difficultatem superarint: quo factò,
rustici porrò fugæ insistentes, prona rupe
ad urbem Brigantum dilapsi sunt, & in vi-
cinam ei munitionem sese recepere. Dùm
verò Wrangeliani superatis jam ad sini-
stram montium alpiumve difficultatibus,
non solùm quâ machinarum quâ bombar-
darum

Decemb. darum dislosionibus sine ferè intermis-
 Anno sione institerunt, sed etiam terga hostium
 1646. acriter prementes ad hanc ipsam munitio-
 nem propius accedere; ex ea causa, milites
 æquè ac rustici, qui eam defendendam ha-
 bebant, eò quod à latere uno aperta erat,
 nec victorum remorando adventui com-
 moda videbatur, fugæ itidem sese de-
 dentes, navigiis partim prope Brigant-
 tum existentibus pedem intulerunt, par-
 tim verò terrestri aufugio vitæ incolumita-
 ti consulere quæsiuerunt, qui tamen po-
 tiorem partem à viis interclusi in Sueco-
 rum manus inciderunt, & non exigua pars,
 qui navibus se concrediderant, in lacu suf-
 focati, extincti.

Itaque hac munitione pari quoque cum
 successu expugnata, cùm Suecicus miles
 urbem repentini hostium advetus tremore
 concussam similiter in potestatem redegis-
 set, restabat ut Claustrum, quâ primus
 transitus patet, impediendisque hostibus
 non tenuem remoram facit, & quâ Linda-
 viam spectat, optime communitum est,
 domaretur, quod dum facere aggrediun-
 tur victores, post acerrimam geminæ horæ
 repugnationem deditum acceperunt.

Inter eiusmodi verò actiones & turbas
 Brigantiniensis præsidii Ephorus, tribunus
 Asche-

Ascherus, in Suecorum manus captivus in- Decemb.
cidit, qui jussu Generalis V Vrangellii quen- Anno
dam ex suis ad arcis, (quæ prærupto cui- 1646.
dam saxo infidet, naturaque sitûs firmissi-
ma Pfannenberga vocatur;) Conservato-
rem ablegare, eique deditioem injunge-
re debuit, qua in re fortuna Suecicis non
minus blandiri visa fuit, dùm Centurio il-
le, videns hostilium militum partem ad ar-
cem cum monitore accessisse, eam victo-
ribus nulla prorsus ostensa repugnatione
consignavit, in qua reperta sunt vexilla di-
versa, & machinæ fulminales ex metallo
perpaucæ, cum pertinente com meatu bel-
lico. Numerus rusticorum tum mactato-
rum tum interceptorum ad sex millia aut
circiter excurrere creditur, quorum tamen
maxima pars neci data. Officiariorum ex
commilitio Suecico, præter V Vrangellium
Centurionem, nemo interfectus, grega-
riorum perpauci occubuêre; Tribuni Da-
nielis autem vigiliarum Magister glande
plumbea os trajectus est, numerusque sau-
ciatorum tolerabilis fuit.

Quantum verò hac locorum occupa- *Lucrum,*
tione partum aut amissum sit, indè digno- *quod inde*
sci potest, dùm fide dignorum hominum *ad victores*
literis, & qui hanc ipsam provinciam inco- *transiit.*
lunt, rerumque quæ politicarum qua bel-
lica-

Decemb. licarum peritissimi sunt, scribitur, lucrum
 & quod inde ad victores rediit, majus esse,
 Januar. quam quod scribi aut credi possit. Damnum
 Anno enim, quod in amissione pecuniæ præsen-
 1646. & tis, unionum lapidumque pretiosorum,
 1647. supellectilium tum aureorum tum argen-
 teorum ad Ecclesiasticas æquè ac seculares
 personas spectantium, mobilium, vini fru-
 mentorumque proventuum, nec non lo-
 corum, quæ Mediolanum, in Rætiam su-
 periolem, provinciã Engadin, Tyrolim
 & in alias terras plures commodè transitur,
 maximè verò in navigiorum tam bellico-
 rum quàm aliorum, tormentorumque ful-
 minalium, quorum adminiculo lacus vi-
 cinus infestus reddi, urbesque & ditiones
 conterminæ quasi injecto fræno domari
 queunt, perditione contractum est, ali-
 quot millionum auri pretium egredi per-
 hibent.

Suecici igitur tanta rerum gestarum fe-
 licitate non parùm elati, quoniam de Lin-
 daviæ expugnatione nescio quid sibi ima-
 ginari audebant, centenorum aliquot mi-
 litum signa eò dimissa sunt, qui Lindavien-
 sium pagos diriperent urbemque paula-
 tim circumfederent, quibus tamen loci
 Gubernator, Dominus Comes à *Wolffs-*
egg / (qui præsidium quingentis conscriptis
 mili-

militibus & quadringentis circiter rurico- Decemb.
 lis constans, secum habebat:) aditus ad ur- &
 bem eo ipso occlusit, dùm 26. Decembris Januar.
 pontem, quâ continenti jungitur, destrui, Anno
 & in propius ad urbem accurrere ausos 1646. &
 Vulcanum ejici mandavit. Hoc nihil terri- 1647.
 ti hostes ad obsidendam urbem magnos
 fecerunt apparatus, quo sine fossæ curso-
 riæ indefinente opera egestæ sunt, muni-
 tionesque & alia opera militaria constru-
 cta. Et licet inter obfirmandum castra ma-
 chinæ fulminales in urbem perrarò dispo-
 derentur, munitio tamen ponti objecta,
 quam 250. passus ab urbe distantem quin-
 quaginta milites defendebant, sclopeto-
 rum bombardarumq; excussionibus acri-
 ter fuit infestata.

29. Decembris arx munitissima Langen- *Langenar-*
 archa, quæ non nisi quadraginta milites *cha Suecis*
 præsidii nomine alebat, nulla prorsus re- *deditionem*
 pugnatione tentata, deditionem fecit, in *facit.*
 qua Suecicus miles vini, frumentorum &
 id genus rerum aliarum largum proven-
 tum reperit, cujus Præfectum Lindaviæ
 Gubernator, propterea quod locum ante
 insultus tormentorum deseruerat, capite
 plecti mandavit. Post Januarii ingressum
 urbs paulatim ex tormentis oppugnari cœ-
 pit, & quoniam 14. dicti mensis Suecici

Decemb novem navigiis bellicis Briganto advecti,
 & urbem infestaturi videbantur, animi ob-
Januar. fessorum ex hoc non leviter perculsi sunt,
 & etsi nihil hostile ab hostibus tentatum. Sub
Februar. vesperam ejus diei urbs fervidissimè incur-
Anno rebatur, nam intra trium horarum excur-
1646. & sum ultra 300. jactus ex tormentis grandio-
1647. ribus numerabantur, immisque præter
 pilas igniarias centum & quinquaginta am-
 pliùs globi candentes ferrei, quorum sin-
 guli 25. 26. aut 30. pondo pependere. Ab
 illo die usque ad vigesimum quintum Ja-
 nuarii munitiones urbis pertinaciter con-
 cussæ sunt, & in primis fortalitium ponti-
 vicinum magno fervore quassatum est,
 quam vim defensores eorum fortiter susti-
 nuerunt.

Menavia
Laens Po-
damici In-
sula expu-
gnatur.

Trigesimâ Januarii Wrangelius Gene-
 ralis Campi-Marescallus, postquam Tri-
 bunum Atcherum, numerato octies mille
 Imperialium lytro, in pristinam libertatem
 assertum à se dimisisset, cum duodecim (a-
 lii 14 volunt fuisse:) navigiis Lindaviam
 præteriens, versus Menaviam insulam, quæ
 milliari unius ambitu continetur, cursum
 direxit, & cum militem suum in terram il-
 lam exposuisset, domum illam firmissi-
 mam obsedit, ejusque post bidui acerrimam
 oppugnationem, jacturam quatuor-
 decim

decim duntaxat occisorum militum pas- Decemb.
sus, prævia transactione potitur, in qua ma- Januar.
chinas duodecim, ingentem comnearum &
tormentarium, vini etiam frumentorum, Februar.
pecorum, auri, argenti & id genus rerum a- Anno
liarum illuc comportatarum amplissimum 1646 &
proventum reperit. Aluerat domus illa in 1647.
hunc usq; diem triginta præsidarios, quos
in belli societatem legi V Vrangelius man-
davit, eorum autem Præfectum, cum duo-
bus equestris dignitatis Divi Johannis vi-
ris (est enim hæc Commendura Equitum
Melitensium:) & pertinentibus ministris à
se dimisit, quos Constantiam securè dedu-
ctos accepimus. Dehinc domui huic sexa-
ginta militum præsidium immissum, mu-
nitionesque disturbatæ in statum priorem
reductæ, ac deinceps feracissimæ juxtaque
amœnissimæ illi insulæ Reichenaviæ (quæ
est altera & postrema Lacus Acronii:) cui
monasterium insidet ad Episcopum Con-
stantiensem pertinens, deditio injuncta, in
quam cum incolæ ejus, ceu relatum nobis
est, facilè consensissent, opima similiter
spolia ad victorem militem concesserunt.

Interim verò à Lindaviæ obsidione mi-
nimè cessatum, quin potiùs, ut de cæteris
hostilitatibus de die in diem exercitis ta-
ceamus, non à Februarii inter incredibi-

Decemb. lem tormentorum boatum, (quorum
 Januar. V Vrangelius ex triplici illo apud Feldkir-
 & chenses armamentario, Principis nimi-
 Februar. rum, civitatisque & arcis, tum minora tum
 Anno majora quinquaginta numero in castra de-
 1646. & vehi mandavit,) quatuordecim Granatæ
 1647. quassatoriæ, (vulgò *Spreng. Granaten*
 appellantur:) quarum singulas centum i-
 mo sesquicentum pondo pondus excessis-
 se ajunt, in urbem projectæ sunt, qui autem
 eorum effectus fuerint, de hoc apud nos
 necdum constat. Excursus, quem obsessi
 postremùm tentarunt, contigit Calendis
 Martii juxta novum stylum, cui interfue-
 runt nonnisi quadraginta, ast probatissimæ
 virtutis milites Cæsarei, singuli, quoniam
 nix hoc suaserat, ne dolus & impressio ho-
 stibus adeò facile aperirentur, indusis su-
 pra vestimenta induti.

Videntes itaque Suecici, munitissimam
 hanc civitatem omnem etsi maximam vim
 hostilem tantùm eludere, nec in oppugna-
 tione aliquid memorabile geri posse, de-
 fensoribus ejus ceu muris persistentibus,
 animos cum spe potiundæ urbis simul ab-
 ecerunt. Et quoniam præter hanc, illam
 quoque difficultatem sentiebant, quòd ni-
 mirum frumenti & pabulorum (vini enim
 ac carniùm abunde habebant:) penuriã
 premi

premi inciperent, machinas ab urbe & ex Decemb.
 propugnaculis seduxerunt, id quod fa- Januar.
 ctum est 24. Februarii, juxta veterem aut Februar.
 6. Martii secundum novum stylum. Biduo &
 post motio universorum castrorum Sueci- Martius.
 corum accidit, quâ legiones Ravenspur- Anno
 gum versus iter inierunt; antequam autem 1646. &
 discessus hebat, quæque pretiosiora Bri- 1647.
 ganto exempta, simul cum aliquot navigiis
 integrioribus, quorum nonnulla igne exu-
 sta, navibus in Menaviam Insulam trans-
 portata sunt. Dehinc etiam munitiones &
 opera militaria circa Brigantum solo adæ-
 quata, arx Pfannenberga subjecto nitrato
 pulvere disrupta, Monasteriumque Als-
 husia Vulcano sacratum, arce Lingonarcho
 & Menavia Insula solis præsidio & operi-
 bus novis communitis.

Gerentibus hæc ad Acronium lacum *Helvetij de*
 Suecicis, quoniam exercitus ille ad con- *Status sui*
 fœderatorum Helvetiorum terras magis *conserva-*
 magisque accessum faciebant, nec illi scie- *tione sollici-*
 bant, quid sibi de novis his hospitibus pol- *ti.*
 licerentur, ea propter procerum Helveti-
 corum jussu populus in cōfinibus per cam-
 panarum impulsus convocatus est, &
 cum aliquot millium armatorum robore
 Rheni ripa contra discursantes copias cu-
 stodita.

Decemb. Licet etiam militiae Sueco-Regiae sum-
 Januar. mus Praefectus Wrangelius Helvetiae Sta-
 Februar. tibus quamvis humanitatem & omne offi-
 & ciorum genus literis offerens, veteres con-
 Martius. foederations nullo modo se interruptu-
 Anno rum, quin potius conservaturum renova-
 1646. & turumque promiserit, nudis tamen & ina-
 1647. nibus ejusmodi promissis fidem habere
 Deputatos nolentes, nomine Foederis magni, uti ap-
 suos ad Sue- pellant, quatuor Deputatos ad summos
 cici exerci- militiae Suecicae Praefectos dimiserunt, qua-
 tus Impera- situm & exploratum, quid sibi de commi-
 torem di- litii regii adventu & vicinitate promitti li-
 mittunt. ceat: quos Domini V Wrangelii Excellen-
 tia inter festivas comboantium tormento-
 rum dispositiones solennissime exceptos
 perbenigne & audivit & liberalissime tra-
 ctavit. Eorum propositio in quatuor potis-
 simum capitibus constitit, quorum primo
 petitum, *Magnum confoederatorum Helve-
 tiae Statuum foedus (sub quo etiam Dominus
 Abbas & Civitas Sancti Galli comprehen-
 duntur:)* constantis amicitiae iure coleretur.
 2. *Commercium nequaquam impedirentur, quin
 potius commearum contrahendique facultas es-
 set libera.* 3. *Copia ne iusto propius ad confinia
 deducerentur.* 4. *Constantia, propterea quod
 confoederatis hisce provinciis pervicina est, per
 tolerabilia media conservaretur, pristinoque
 suo*

suo flori relinqueretur. Super his igitur & 2- Decemb.
 liis propositis prædicti Domini V V rangelii Januar.
 Excellentia, optimam suæque Commis- &
 sioni congruam responsionem reddidit, af- Februar.
 securatione facta, se regiones hæc debito Anno
 modo respecturum, Neutralitatemque 1646. &
 cum Gustavo Magno & moderna Sueciæ 1647.
 Regina contractam quavis honesta ratio-
 ne protecturum. Libuit impræsentiarum
 meminisse portentorum prodigiorumve
 & ostentorum, ac casuum aliorum, qui
 partim in aëre, partim etiam in terra diver-
 sis in locis acciderunt, quæ succinctissima
 saltem narratione comprehendemus.

Lubecâ literis 25. Septembris ad nos *Portenta*
 transcriptis relatum est, paucis ante die- *passim ob-*
 bus circa Flensburgum observatum fuisse, *servata.*
 uti bellicum quoddam vastissimæ molis
 navigium in aëre apparuerit, ex mari ascen-
 dere visum, quod cum paulatim supra ter-
 ram fuisset elevatum, primò quidem in o-
 mnis generis arma ac currus militares, mox
 verò in aliquot mille equites & pedites sese
 convertisse. Cracoviensium literis de 4. 14.
 Septembris asserabatur, ea ipsa die turrim
 quandam propè portam Divæ Annæ in ru-
 dera subsedisse, cujus ruina multa quidam
 ædificia viciniora contriverit, hominum
 autem per Dei gratiam neminem prostra-
 verit.

Septemb
 Novemb
 Januar.
 &
 Februar.
 Anno
 1646. &
 1647.

verit. Ex Lusatia de 15. 25. Novembr. trans-
 scriptum est, non ita pridem supra urbem
 Groß. Bogau ingens portentum conspe-
 ctum fuisse, & quidem in forma duorum
 exercituum manus inter sese multo cum
 fervore conferentium, quo evanescente,
 Poloniam versus virgam longam ac disten-
 sam vitam esse. Byzantii seu Constantino-
 pole grando trium pondo gravissima ea-
 que perhorrenda tempestate cælo depluit,
 ajuntque ibi primariam expeditionis clas-
 sicæ navem, (Galli idgenus navigiorum
Galions appellant:) cui Sultana nomen e-
 rat, cælo tactam, cum ducentis personis, &
 mercibus ad geminum auri millionem, seu
 vicies centena florenorum millia æstima-
 ris, conflagasse. E Franconia literis quinta
 Januarii styli novi exaratis nunciatum, pro-
 xima die Martis sub noctem insolitam pro-
 cellam vastissimam tonitruum tempesta-
 tem advexisse, ex qua trium circiter hora-
 rum à Noriberga digressu templi cuiusdam
 turris seu meta fulmine succensa fuerit, i-
 gni tamen per incolarum solertiam citra
 damnum domito Tiguro de 10. 20. Ja-
 nuarii certiores facti sumus, in Turgoia in-
 gentem per aëra ejulatum, Keyfersstulæ
 verò horrendum armorum concussorum
 strepitum exauditum esse, Si literis Ham-
 burgi

burgi 23. Jan. per scriptis fides adhibenda Septemb
 est, hoc anni tempore in Holfatia-ciconiæ Novemb
 magno numero convolarunt. Ex quo loco Januar.
 de 16. Februar. itidem relatum accepimus, &
 Pomeraniam & Megalopolitanam pro-Februar.
 vincias lupis gregatim quasi discurrentibus Anno
 non leviter infestatas esse. Hæc verò & 1646. &
 cætera hætenus narrata quid portendant, 1647.
 soli Deo, qui omniscius est, notum relin-
 quitur, qui omnia in sacrosancti nominis
 sui gloriam, nostrum omnium autem tem-
 poralem maximè verò æternam salutem
 dirigere velit.

Verum ut ad res in Italia gestas reverta- *Res in Italia*
 mur, sciendum est, postquam Romæ intel- *gesta.*
 lectum fuerat, utrosque Cardinales Fran-
 ciscum & Antonium Barbarinos Avenio-
 ne, ceu petitum fuerat, se stitisse, Pontifi-
 cem Maximum declarationem publicari
 fecisse, cujus beneficio in quosvis suos re-
 ditus, beneficia ac dignitates, ceu antehac
 eas possederunt, pleno jure restituti sunt.
 Ferunt etiam, prædictis Cardinalibus, ob
 factam pacificationem, ultra mille octin-
 gentas gratulatorias literas redditas esse.
 Die Martis 3. Decembr. n. st. Regis Polo-
 niæ Legatus, Dominus Comes Magnus,
 (quæ Senatus Venetus torque aureo 1500.
 Coronatorum donavit:) Venetiis Ro-
 mam

Decemb. mam profectus abiit, eodem quo hic fa-
 & ctum fuerat modo subsidiariam à Pontifi-
 Januar. ce petitum pecuniam, pro bello in Turcas
 Anno eò faciliùs adornando & sustinendo: Ro-
 1646. & ma verò Regis Tunetani in Barbaria filius
 1647. natu major, qui nuper Christianam profes-
 sus religionem, sacro baptismi fonte & la-
 vacro se purgari fecerat, ex ea causa per
 Pontificem Cruce aurea mille scutorum
 valorem excedente, liberaliter donatus, in
 Genuensium quadam triemi Siciliam pe-
 tiit, illinc ulteriori itinere in Hispaniam ab-
 iturus.

Juxta hæc octo naves longæ, quas alias
 triremes appellant, commeatu bellico &
 annona onustæ in portu Herculis exonera-
 tæ sunt, quarum unam cum Orbitelli Præ-
 fectus, Dominus Carolus della Gatta con-
 scendisset, ut cum regni Neapolitani Pro-
 rege, de modo recipiendorum Plumbini
 & portus Longone in Tuscia, colloquium
 institueret, reditum in patriam adorna-
 runt. Secundâ verò Januarii Mediolani in
 præsentia Gubernatoris, Ministrorum bel-
 licorum, plurimorumque Nobilium, ob
 victoriam nuper ad Leridam à Gallis repor-
 ratam, hymnus Divorum Ambrosii & Au-
 gustini solenniter decantatus, & exquisitif-
 simus

simus triumphus actus est. Hæc de Italia Januar.
dicta sufficient. Anno

Ineunte Januario anni noviter ineuntis 1647.
supra millesimum sexcentissimum quadra-
gesimi septimi (quem & plures alios Deut
ter Opt. Max. faustos, fortunatos, pacificos
& auspucatos nobis facere dignetur:) de-
scribendus occurrit miserrimus status, in
quem Weissenburgum civitas, per tolera-
tam periculosissimam obsidionem redacta
& tantum non pessundata est, cujus rei cir-
cumstantias sequentes fuisse intelligimus.

Cùm 3. Januarii Trauditius Generalis *Weissen-*
per tubicinem quendam civitati deditio- *burgum in*
nem imperari fecisset, & verò intelligeret *deditioem*
præsidii Suecici Ephorum, Legatū Weye- *compelli-*
rum, surdas monenti aures obvertere, nec *tur.*
de ulla faciendæ deditiois lege audire vel-
le, urbem continuò per trecentos equites
usq; ad octavam mensis præsentis circum-
sideri mandavit. Ea ipsa die selecta par-
tim Cæsareorum partim verò Bavaricorum
militum millia obsidioni initium fecerunt,
& licet post mediam noctem pilas igniarias
& granatas 60. aut 70. pondo, in univer-
sum 104. in urbem coniecissent, nullum
tamen assecuti sunt effectum alium, nisi
quòd incola quidã Emetsheimii sono pro-
stratus interierit, & molitoris cujusdam
Wedels-

Januar.
Anno
1647.

Wedelshemiensis filia in hospitio brachia
& pedes corpore avulsi sint, ex quo casu vi-
tam brevi post cum sanguine effudit. A no-
na usque ad decimam sextam Januarii, in-
credibile dictu, quanta cum pertinacia ob-
sessi ex machinis oppugnati fuerint, quippe
præter 5700 ictus tormentarios, quos nu-
merarunt, quadringenti globi candentes
injecti sunt. Decima septima Jan. quietè u-
trinque transit, oblesoresque in egeren-
dis fossis & munitionib. occupati fuerunt.
18. ante Saxifodinam, portam superiorem,
& murum illum (vulgò *die Schießmauer*
appellatum:) mœnia in ruinam concussa
sunt, ictibus tormentariis plus mille sexa-
ginta quinque numeratis, unde dubium es-
se ajunt, num toto duratis huius belli tem-
pore tanta machinarum sævitia in unius loci
expugnatione adhibita fuerit. Eodem die
ab undecima ad vesperam usque urbs in-
sultibus tentata, non in tenui expugnatio-
nis periculo versabatur, virtute tamen pro-
pugnantium servata est, in quo fervidissi-
mo partium congressu propugnatores in-
signem tum trucidatorum tum sauciato-
rum stragem passi perhibentur. Cives au-
tem inter insultandum cum uxoribus & do-
mesticis in templum & firmiores civium æ-
des sese recipientes, inter preces & lacru-
mas

mas

mas animam Deo commiserunt. Vigesima Januar.
 Januarii urbs denuò centum sexaginta sex Anno
 globos in totum candentes excepit, undè 1647.
 domus octo, & inter illas quædam prima-
 ria horrea aliquot, & cum primis Pharma-
 copolium vetus succensa, in cineres & fa-
 villas redacta sunt. Sequenti die iterùm
 globi lapidei candentes in urbem concussi,
 qui inter procidendum in multas partes
 disrupti sunt, murusque per lacum & gla-
 ciem totus dissectus, & obsessis, qui ne uni-
 ca quidem machina seu tormento instructi
 erant, contraria defensio in totum præcisa,
 ut ob muros undique in rudera concussos
 facilis in urbem aditus patuerit. Extremi i-
 gitur periculi evitandi causa, vigesima se-
 cundâ Januarii ex interpositione Reveren-
 tissimi Domini Præfecti seu Commenda-
 toris Oellingensis, in transactionem con-
 descendebatur, in quam proindè utraque
 pars consensit eamque approbavit. Hoc
 factò, altero statim die Suecici stationes
 suas militibus nudatas Cæsareis Bavaricis-
 que occupandas reliquerunt, tandemque
 urbs Generali armorum Præfecto Ferne-
 montio, & Pro-Campi-Marescallo Gene-
 rali ab Enckefort tradita. Ex ea Adamus
 VVeyerus, legionis Grundlianæ Protribu-
 nus, & præsidii regii in hunc usque diem
 Præse-

Januar.
Anno
1647.

Præfectus, ex more in militia recepto cum armis in manu, impulsis tympanis æneis, funiculis accensis, & globis in ora involutis, &c. unâ cum quatuordecim curribus & sexcentis sclopetariis discessit, VVendin-
giam securo itinere traductus, Urbi autem de alio præsidio, ex Croatis & id genus aliis militibus quâ peditibus qua equitib. constante, provitum est.

Durante obsidio mortui occubuerunt Pro-tribunus à Kreilsheim, & præter saucia-
tos, ex gregario em militio plus satis. A parte Suecorum intra mœnia trucidati sunt signiferi duo, totidem Corporales, & veli-
tum plebejorum circiter viginti. Annona-
rius quidam, cum post tergum tormenta-
rio globo percussus esset, mortem illico cõ-
traxit. Gallicanæ nationis quidã miles inter
ereberrimas machinarum effulminationes
una cum domuncula excubitoria in sub-
iectam fossam excussus vitam ibi miserè fi-
niit, præter hos autem rustici duo & puer
unus propè munitiones mactati interie-
runt. Adhæc arbores quævis frugiferæ, ad
mœnium æque ac locorum aliorum ruinas
explendas, dirutæ terrâque excisæ sunt.
Duo ex senatorio ordine, nimirum Caspa-
rus Heckelius Consul, & Samuel Preve-
nus captivi abducti, quinque verò alii eius-
dem

dem dignitatis in curiæ quodam conclavi *Januar.*
 arresto detinebantur, comminatione fa- *Anno*
 cta, nisi intra paucos dies tria Imperialium *1647.*
 millia pro redimendis campanis numerari
 procuraverint, fore ut cum aliis pluribus in
 captivitate similiter abripiantur.

Die 17. Januarii præsidium Mindelhei- *Suecici*
 mense rusticis, dum ligna, fœnum & fru- *vias depo-*
 menta Augustanis subvehendo in opere *pulãdo am-*
 erant, horulæ unius ab urbe digressu post *plam prædã*
 montem arenarium ad octoginta; è con- *acquirunt.*
 tra Bavarici Aichia & Schrobenufio pro-
 currentes Rainensibus triginta aut quadra-
 ginta equos qui pabula comportatum ex-
 ierant, abstulêre. Præterea literis Augusta-
 norum 7. Februarii exaratis confirmatum,
 quòd biduo antè 1500. Königsmarciani
 equites excursionem in Bavaricos agros fe-
 cerint, & inter Augustam & Monachium,
 in via vulgò die *Weinstraß* dicta, quadrin-
 gentis equis currus laxarint.

Appulerant tum temporis in aula Cæsa- *Cæsar Regis*
 ris apud Posonientes in Hungaria Legati *Galliarum,*
 duo, unus Galliarum Regis, Turcarum Im- *& Impera-*
 peratoris alter, quorum ille ob mortem *toris Turki-*
 Imperatricis, in præcedenti libro paginis *ci Oratores*
 51. 52. & 53. descriptam, condoluit, ac de- *audit.*
 mum per summum Camerarium lautissi-
 mis epulis exceptus, quem etiam Cæsa-

Hrea

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

rea sua Majestas ante discessum ejus catena aurea mille florenis (volunt alii totidem aureis:) æstimata, & supellectile argentea adornandæ integræ mensæ, cum elegantissimo numismate, donavit. Decima quinta Januarii prædicta Sua Majestas Cæsarea Turcicum Legatum Bassæ Budensis Germanum fratrem ad publicam audientiam similiter admisit, qui Imperatoris sui nomine literas pulvillo Attalico superimpositas, magna quidem cum reverentia, ast recto capite, obtulit, & simul conceptis verbis proponi fecit, Imperatorem suum nihil antiquius habere, quàm ut bona vicinitas conservetur, & pax confirmetur. Donorum Sultani nomine offerendorum nihil secum habuit, nisi quòd fratris sui Bassæ Budensis benevolentia, peristroma Turcicum, & aliam panni auro argentoque intertexti materiam præsentari fecit. Credebantur antedictæ literæ id argumenti in se habere, in quem modum Cæsareus Orator *Greiffenclau* Constantinopole primariæ existimationis Turcam confoderit, atque ob id factum Sultani jussu in compedes conjectus sit.

*Armistitiū
Monaste-
viense.*

Quod medio intercurrente tempore, Domini Mediatores bellantium regnorum partiumve assistentium, Dominis Legatis,

gatis, universalem quandam armorum Januar.
 cessationem proposuerint, eamq; ex omni &
 parte comprobata, certa; ad eam perfi- Februar.
 ciendā personas amādatas esse, nostra qui- Anno
 dem opinione opus non erit, longo aliquo 1647.
 verborum eloquio rem producere: cum
 in totius mundi conspectu sit. Ut ergo re-
 cis ambagib. rectam viam sequamur, è re
 fore putavimus, hoc loco Electoralium ad
 eam conficiendam Ulmam emissorū De-
 putatorum copiam exhibitæ propositionis
 ob oculos ponere, cuius hic tenor erat:

Illustres, prænobiles & strenui, Domini
 omni observantia colendi, &c. Cum bel-
 ligerantium regnorum & partium assisten-
 tium Dominis Legatis, Monasterii, per Do-
 minos Mediatore armistitium generale
 propositum, atque id ab iis ex omni parte
 comprobatum, nec non pro pertractando
 hoc negotio certæ personæ horsum ad
 exercitus amandatæ fuerint; tum etiam in-
 primis Imperatoria Majestas Legatos suos,
 nec minus Celsissimi Electoris Bavariæ se-
 renitas, Dominus noster clementissimus,
 ad causam hanc in se receptam, nos sub-
 scriptos clementer eo ordinaverit: Tracta-
 tus autem hi Monasterienses, solum in or-
 dine ad pacem Generalem inter Imperium
 & coronas confœderatas, ejusque matu-

H a riorem

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

riorem restaurationem directæ fuerint, id-
eoque jure merito medium hoc, cum fine
suo correspondere, & tam hoc quam illud
consimile & adæquatum esse, atque his
nostris exercitibus tantum sedium, in qui-
bus usque ad publicatum pacificationis
conclutum, subsistere & diverticula sua ha-
bere possint, relinqui debuerit, præsertim
cum non adeò longi temporis dispendium
vertatur, sed spes sit, quin imò in utraque
confœderatarum coronarum manu ac po-
tustate consistat, pro reddita illis satisfa-
ctione tam magnifica, quam Clementissi-
mus noster Elector ac Dominus, adeò im-
pensè promovit, pacem ilicò concludere:
Quapropter præsentibus Dominis Depu-
tatis utriusque coronæ confœderatæ, non
erit adversum, ut pro Primo, omnes ulte-
riores hostilitates, & progressus, utriusque
exercitus & copiarum, hinc inde depen-
dentium, durante hoc tractatu armistitii,
reciprochè, ubi vis locorum semoveantur,
& interdiciantur; tum etiam ut partium
belligerantium exercitus eo statu loco ve-
ulque ad peræquationem locandarum co-
piarum, & armistitii Generalis composi-
tionem permaneant, quo jam in principio
transactionis utrinque deprehensi fue-
runt.

Hinc

Hinc secundò petitur, ut pro Cæsareis Januarij
& Imperii exercitibus, præter Provincias &
Cæsari hæreditarias, etiam illos, aliquot Februar.
abhinc annis possessione detentos, totum Anno
Bavaricum, Suevicum, Franconicumque 1647.
Circulos, militi distribuendos, nobis in
hyberna cedant, tradantve: Cum extra has
regiones confœderatarû Coronarum duo
exercitus, in residuis circulis, sufficientes
sedes & hospitia, cis & uls Rhenum habe-
re possint, nec necesse ipsis sit, ut horum
duorum exercituum copiis consueta hy-
berna eripiant.

Quamobrem Tertiò, quoad Bava-
ricum, expressè à nobis reservatur, quod
non solum illi tantummodò status &
provinciae, qui alioquin ex matricula Im-
perii ad eum referuntur, sed etiam superior
& inferior Palatinatus, quantum quidem
ex eo cis Rhenum situm est, & serenissimi
Electoris, Domini nostri clementissimi
imperio audit, sub eo comprehendi & in-
telligi: Tum etiam civitates Raina, Dona-
werda, Mündelhemia, Wembdingia,
Heidenhemia & Wisenstegia, cum perti-
nentiis suis, Electoris celsitudini absque o-
mni emergenti detrimento cedi & præsi-
dia in iis excubantia deduci debeant.

Quantumvis etiam, tam suspensio ar-
morum,

H 3

morum,

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

morum, cujus in primo articulo mentio facta est, quam deinde pertractandum armistitium generale, omnes Imperii Circulos, itemque sacrae Cæsareæ Majestatis & serenissimi Electoris Bavariæ exercitus, provinciasque hæreditarias, nec non omnes Electores, Principes & Ordines assistentes respiciat, & in id collimet, suspensio tamen hæc armorum etiam de Circulo Westphalico, cum primis verò de Electoris Coloniensis Archiepiscopatu, Episcopatibus, & Provinciis, in specie intelligatur, & expresse ad eos dirigatur, moderatis quoque contributionum exactionibus.

Quartò, tempus quod attinet, quandiu scilicet suspensio armorum & armistitium integris viribus duraturum sit: hic nostro quidem arbitrio non **certus** aliquis terminus in quorundam tantum mensium effluxum diffiniendus, sed tempus indeterminatum, tantisper dum pax plenarie restaurata fuerit, denominandum fuerit: hac observata consideratione, quod hæc armorum suspensio etiam ex confessione ipsius partis adversæ, quam Monasterii fecerunt, ut superius innuimus, ad maturandum pacis negotium suscepta, & inde merito etiam usque ad plenariam ejus compositionem executionemve firmiter permanere

manere debeat, utraque parte in istuc con-
 sentiente & sese adstringente, ut erecto ar-
 mistitio, caussa pacis, Monasterii & Osna-
 bruggæ, ab omnibus partibus belligeran-
 tibus, tam ex hoc quam altero latere, nihil-
 ominus, imò eò majori ardore acceleretur,
 & in id labor infumatur, quò conclusum
 omni abjectâ mora sublequatur.

Quintò, etsi durante armistitio ex alio
 atque alio latere, aliquis Officiarius, cum
 copiis suis, vel per se ipsum, & absque præ-
 vio mandato Domini sui, in locis statio-
 num, vel alibi, insolentiam aliquam admi-
 serit, ob eam tamen suspensio non sublata
 esse, sed nihilominus observari; at in offi-
 ciarium illum, suosque cohortes, qui extra
 orbitam transgressi, à suo commendatore
 ad instantiam partis læsæ, pœna legitima ir-
 rogari debet.

Sextò procedente ita armistitio, neutra
 pars exercitū suum multiplicet, sed eo statu,
 quo sub principium compositionis fuit,
 suos contineat, eòque magis, quia sospi-
 tante Jehova, in eo iam cardo vertitur, ut
 pacificatio inter imperium Romanum &
 utamque coronam, quam proxime ad fi-
 nem perduci debeat: Inde summa iniuria
 & coram DEO Opt. Maximo exculpabile
 esset, utrique etiam coronæ confœderatæ,

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

in universo mundo, non parvam maculam infligeret, si per exercituum supplementa, armorumque continuationem & casus inde emergentes, pacis opus, adeò salutare & exoptabile, rursus disrumperetur, & in universi orbis irreparabile damnum & periculum longius protraheretur.

Et postquam Septimo Domini Deputati Cæsarei, ulteriorem Resolutionem ex aula Imperatoris expectant, at quando adventura sit certum nesciunt, ita ut cum propositione sua subsistere eos oportuerit: nobis autem gratus foret, si exercitus omnium partium, in suis locis essent, ideo lubentes in festinandâ peræquatione sediû operam nostram innumeremus. Hinc, si nomine Serenissimi Electoris Bavarix, Domini nostri clementissimi, utriusque coronæ confœderatæ præsentibus Dominis, ad hanc transactionem Deputatis, ad prædicta puncta nobiscum, tam quoad Cæsareum immediatum, quam Electoris, Domini nostri clementissimi exercituum Imperii, cessationem armorum & generale armistitium conficere, nõ displicebit, sereniss. Dominus Elector de super postea S. C. Majestatis Ratificationem extrahere, in se recepturus est; tantum ut sanguini Christiano parcatur, Expectaturi, dum de uno
atque

atque altero certiores reddamur, simul
 declarationem illorum in scriptis expeten-
 tes, hoc tamen reservato, ut nostra hæc
 puncta vel augendi, vel minuendi, jus po-
 testasq; & manemus Dnn. nostrorum ob-
 servantis. obsequiosi J. U. Ruischbergius,
 J. Kürnerus, H. B. Schefferus, Ulmæ, 2. Fe-
 bruarii Anno 1647 Regiæ Majestatis &
 Coronæ Suevicæ, ad tractatum armistitii
 Dominis Deputatis exhibendæ.

Januar.
 &
 Februar.
 Anno
 1647.

Quibus Regii Suecici Domini Depu-
 tati, sub dato Ulmæ 26. Jan, eo, quo sequi-
 tur modo, responderunt.

Illustres prænobiles & strenui, Domini,
 cum primis observandi. Dominorum Pro-
 positio, scripto comprehensa, 22. Jan. vet.
 & 1. Febr. styli novi, ad nos perlata fuit, cu-
 jus contenta per omnia penitus cognovi-
 mus. Et quidem sperassemus eum in finem
 directam fuisse, ut ad optatum eventum
 horum tractatum firma aliqua spes af-
 fulgere, potuisset, sed præter omnem, quam
 habuimus, expectationem, id conjicere
 nos oportet, quod ex parte Dominorum,
 non solum ratione propositi armistitii te-
 nui fervore tangantur, sed etiam sub specie
 ejus tractandi, nihil aliud quærat, quam
 ut in suum emolumentum tempus extra-
 hant, nullaque via ad maturandam uni-

H s ver-

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

versalem à tot animarum millionibus summo desiderio expectatam auream pacem respiciant: siquidem quod secundum & tertium articulum, loca videlicet, a lendis utriusque partis exercitibus assignanda concernit, quod totius negotii caput, & ante omnia tractatu maximè necessarium est, (quippe ex quo reliqua omnia originè ducunt) videmus, quod pro exercitu Cæsaris & Imperii, non solum Bavaricus, Suevicus, & Franconicus, Burgundiacus & Westphalicus Circuli, regnum Bohemiæ, Moravia, superior & inferior Silesia, superior & inferior Palatinatus, & quid ex hoc in Cistrhenano latere situm: sed etiam restitutio Rainæ, Donaverdæ, Mündelhemie, Wembdingiæ, Heidenheimiæ, & VVissenstegiæ, absque omni detrimento reperantur. Si ergò Marchionatus Moraviæ, superior & inferior Silesia, regnum Bohemiæ, cum aliis præfatis Circulis & terris, Cæsaris & Imperii copiis cedantur & restituantur, Regiis verò Suecicis exercitibus & præfidiis, solummodò superior & inferior Saxonicus relinquendi forent: ex nostra parte non aliud sperandum, quam quod non solum circuli & illorum habitatores, sed Regius quoque simul exercitus, præsertim præfidia Olmutiæ, Iglaviæ, Neostadii,

dii,

dii, & Eulenbergæ in Moravia: Glogaviæ, Januar.
Trachenbergæ, Jegerndorfæ, Lischvitiæ, &
Wolaviæ, aliaque à nobis milite commu- Februar.
nita oppida, in Silesia: Brixia, Fridlandia, Anno
Greiffenstenia, in Bohemia: Nordlinga, 1647.
Dinckelspila, in Suevia: Castellum Neu-
burgum, Fandeburgia, ad Brigantium, Lon-
ga Archa ad lacum Brigantinum, locaque
plura brevi tempore totaliter ad extremã
perniciem redigerentur; sed etiam omne
illud, quod adjuvante triuno numine, tan-
to sanguine, totque nefandis sumptibus,
pro Religione Evangelica, & libertate
Germanica (quam obrem Regia Sueciæ
Majestas, gloriosissimæ memoriæ, ad cor-
ripienda arma, potissimum permota fuit,)
profusis, tuto belli tempore partum est,
jam iterum deperditum iret. Hoc ergo
considerato, quod non solum reliquæ ter-
ræ, pro alendo regio exercitu, præsidis que
sustentationem erogare non poterint; sed
etiam nostris præsidis in Bohemia, Mo-
ravia & Silesia, cum primis, quæ sub Domi-
ni Generalis rei armamentariæ præfecti,
Wittenbergii ductu, copiæ militant, sua
ex Austria, Bohemiæque regno adfluens
contributio eriperetur: Tum etiam quod
ex superiori & inferiori circulo Saxonico,
parum nobis auxilii esset, quia cum Bran-
den-

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

denburgensis & Saxoniae Electorum serenitatibus certas pactiones pro cessatione armorum conscriptas habemus, ita, ut vigore earum, amplius aliquid, quam quod transactum est, flagitare, vel ullum militem illarum territoriis immittere, neque petamus, neque possimus.

At si fortalsè Domini Propositionem suam istuc explicatari sunt, rati, ut non obscure innuit, quod loca in Moravia, Silesia, Bohemia & Suevia à nobis confirmata praesidiis, sicut Domini, ut cum suis fiat, petierunt, reciprocè cedi & tradi, & inde educta praesidia simul cum exercitibus tantummodò superiori & inferiori circulo Saxonico, alenda infundi debeant, tam Circulorum, quam regii exercitus ruina eò celerius procul dubio secutura esset. Tum etiam non minori admiratione percipimus, quòd Domini nobis praeter priora etiam moderationem contributionū Westphalicarum injungant, quin putaverimus, id à nobis erga Caesareanos & Electorales Bavaricos majori meliorive ratione quivisse fieri: praesertim, cum non solum ex iis locis, quibus ex sua parte praesidia irrogant, sed etiam ex illis, ab hoc nostro & Carrorum Castellensium latere realiter & ipso opere possessis terris, nominatim ex
Epi-

Episcopatibus, Mindano & Osnabruccio, Januar.
 Comitatus Lippiensi, Schauenburgico, &
 Hoyensi, Diepholziano & Ravenspurgi- Februar.
 co, ut & Pymontano, multis abhinc annis Anno
 longè plura, quam nostri, conquiverint & 1647.
 extorserint. Nobis majores causæ essent,
 iniquum statum, quem Evangelici Ordines
 in Suevia: ante omnes autem cives civi-
 tatis Augustanæ, Augustanæ confessioni
 addicti patiuntur, (quibus solis, ut fama re-
 fert, onera militaria sufferenda imponun-
 tur:) ægrè acceptum urgere: Quid præter-
 ea nos cum Dominis, tam pro Cæsareo im-
 mediato, quam Imperii exercitu, cum Cæ-
 sareos Deputatos ulteriorem resolutionem
 ex aula Imperatoris expectare oporteat, in
 negotium transactionis intromittere de-
 beamus, gravibus de causis non immerito
 altiori indagini reservamus: rati, quod etiã
 ex Dominorum propositis durioribus con-
 ditionibus facilè liquet, frustraneo nos iti-
 nere defunctos. Quo ita relicto, Deo &
 fortunæ justam causam committimus. Id
 quod Dominis nostris observandissimis re-
 plicando significare volumus, quorum
 sumus obsequiosi

Datum Ulmæ 26. Jan. anno 1647.

Robertus Duclassius.

Petrus Brandius.

Sere-

Januar.

&

Februar.

Anno

1647.

Serenissimi Electoris Bavariae ad tractatus armistitij Dominis Deputatis perferenda.

Cum ergo hæc Electoralium Bavaricorum Dominorum Deputatorum in medium prolati articuli, ad componendam generalis armistitii causam, Regiis Suecicis Dominis Delegatis neutiquam acceptabiles essent, contra replicantibus, videre se, quod, dum huc accesserint, frustraneum laborem susceperint; Ideo Electorales sub dato Ulmæ, 19. Febr. aliud petitum exhibuerunt, & ad armistitium aliquod particulare, (cum belligerantibus coronis regiis, tam nomine celsissimi Domini Electoris, ejusque familiae, principatus & exercitus, quam etiam Domini fratris, serenissimi Electoris Coloniensis, eiusque principatum & copiarum:) pertractandum & concludendum proposuerunt, hoc, quo sequitur, modo:

Illustres Domini, &c. Dominis nostris observandissimis partim absque prolixis verborum ambagibus notum est, partim etiam in posterum, si conclusum aliquod fecerimus, toti orbi pluribus palam remonstrabitur, quam presentibus de causis Serenissimi Electoris Bavariae Celsitudo, Dominus noster clementissimus, perat,
cum

cum utraque corona regia, bellum ducen-
 te, in amicitiam & concordiam constanter
 redire. Id quod his cum tractatibus ini-
 tium capiat. Quapropter serenissimus E-
 lector commotus fuit, sibi que proposuit,
 armistitium aliquod particulare cum bel-
 ligerantibus regiis coronis, per nos, tam
 pro se, suaque familia, principatu & exer-
 citu, quam etiam pro Domino fratre suo
 serenissimo Electore Coloniensi, eiusque
 terris & copiis erigere: quem in finem con-
 stitutionem nostram in originali exhibui-
 mus, parati, negotium hoc in subsequen-
 tia capitula exordiri & omninò ad finem
 perducere.

Januar.

&

Februar.

Anno

1647.

Pro primo videlicet, petit Celsiss. Dn.
 Electoris Clementia, particulare armisti-
 tium, cum duabus coronis, hoc modo, jam
 statim inchoare, & donec pax universalis
 per totum imperium Romanum reducta
 fuerit, dextrè & realiter continuare, ita ut
 ab utraque corona earumq; confœderatis
 armis contra serenitatem suam eiusque in-
 clitam familiam, principatum & exerci-
 tum, nihil dehinc hostile, neque directè
 neque indirectè, neque consilio, neque
 facto, clam palamvè peragatur, sed omnes
 hostilitates in totum, & hoc ipso momen-
 to, revulsæ & sublatae sint & mancant.

Secun-

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

Secundò dictus jam articulus, etiam in omnes Serenif. Domini Electoris Coloniensis Archiepiscopatum & terras, eodem modo extendi & intelligi, servari etiam: & sub eo non minus in omnibus Dominus Coadjutor celsif. Dux Maximilianus Henricus, pro tempore includi, & armistitio hoc simul in omnibus, jam & in posterum uti frui debet. Hactamen conditione, ut tertio Celsif. Domini Electoris Serenitati ad collocandas & alendas copias, non solū circulus totus Bavaricus, cum omnibus, juxta matriculam Imperii, ad eum pertinentibus statibus, civitatibus & locis, usque ad securam pacificationem generalem relinquatur, & quod in eo ab una atque altera corona armis suæ Serenitati absq; detrimento eliberatum, deductis jam inibi hospitantibus cohortibus restituatur. Simule etiam Celsif. Domino Electori suæ civitates propriæ, & loca, utpote Raina, Donaverda, VVembdinga, Heidenhemia, VVeissenstega, & Mündelhemia quippe in quibus alioquin propemodum nihil ex quo vita trahi possit, residuum est, cedantur, atque tam Bavaricæ, quam in superiori & inferiori Palatinatu, in solo Cistrhenano sitæ, hucusque possessæ terræ, semper à militum præsidis immunes sistantur, & in
poste-

posterum à Serenitatis Suæ provinciis, ne-
 que contributiones, hospitia, transitus vel
 simile quid, nec petatur, nec extorqueatur,
 sed ut absque aggravatione his omnibus
 solutæ sint, minimeque perturbentur.

Januar.
 &
 Februar.]
 Anno
 1647.

Et quoniam, Quarto, dimidium propè
 Bavarix, aliique ordines Circuli Bavarici
 potiore partem oneribus subversi, & ad
 eam inopiam redacti sint, ut ad sustentan-
 dum exercitum Bavaricum, vix ulla am-
 plius subsidia conferre valeant; ita ut plu-
 ribus statibus, donec confectarum pactio-
 num Ratificatorix, ab utraque Regia Ma-
 jestate, adpellant, pro eo distribuendo &
 alendi opus habeamus; & cum Sereniss.
 Dominus Elector una cum Bavarico, etiam
 Suevicum & Franconicum Circulos, ali-
 quot jam annis plenariè in hyberna usur-
 paverit, sperabimus, nî utraque corona Se-
 renissimo Domino Electori, duos hos cir-
 culos in totum cessura sit (quamobrem
 Dominos Deputatos rogatos volumus:)
 eos ad minimum, una cum toto Bavarico,
 nihil excepto, etiam ex Suevico & Franco-
 nico, præter eas, jam nûc à suæ Celsitudinis
 copiis occupatas, & militari subsidio obfir-
 matas stationes, accommodatum in iis
 præfatas copias, locaque quæ Bavarici sui
 juris fecerunt, & subsidiis muniêrunt, con-
 serva-

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

servatum, usque vel ad utriusque Regiæ Majestatis expeditas Ratificatorias, aut convenientem pacificationis universalis publicationem, tantum terrarum statuumque concessuros, quantum necessitas sublevandi exercitus postulabit. In principatibus autem Electoris Coloniensis aliquam tributorum allevationem imperaturos: maximè cum ambæ coronæ alioquin in Imperio ampliores terras, quam quibus opus habent, possideant.

E contra, Quintò, Serenissimus Elector arma sua à Cæsareanis, simulac transegerimus, & nobis loca, prædicto modo, tradita, & transactio subscripta fuerit, abducere, iisque nulla amplius viâ, pacto ve nullo, vel recipiendo, vel sustentando, clam, palamvè, assistere, sed sese separare, & ut idem effectum det, nomine Domini Fratris, Serenissimi Electoris Coloniensis cavere, & scriptam ab eo assecurationem, quam proximè adferre, & utrique coronæ deputatis exhibere vult.

Sin vero, Sextò, sub hoc armistitio, ex parte hac vel illa, unus atque alter officarius, cum subditis suis agminibus, vel etiam milites gregarii per se ipsos & in jussu Domini sui, in hospitibus, itineribus, aut alibi ullam insolentiam perpetrabit, ob id induciæ

armo-

armorum, non violatæ dici, sed strictè ob-
 servari debent. Officiarius tamen & agmi-
 na, quæ disciplinam transgressa à Cōmen-
 dante suo, cujus iussa capessunt, instante
 parte læsa, pœnâ merita, afficiuntor, aut si
 ejusmodi temerarii malefici, in flagranti
 crimine deprehensi fuerint, captivi abri-
 piuntor, & significato delicti genere, su-
 periori Commendatori, ad plectendum
 transmittuntor.

Septimò, Commercia libera & secura,
 nec interclusa sint, mercesque omnes, cu-
 juscumque generis fuerint, etiam frumen-
 ta, vinum, sal, ab utraque corona, & eorum
 confœderatis, itemque in Electorum Co-
 loniensis & Bavariæ territoriis, nullo inter-
 jecto impedimento dimittantur, parti-
 busque petentibus, salvus conductus hinc
 inde concedantur, & à neutra parte, nec
 etiam à commendatoribus undiquaque,
 vel in stativis vel castris, contra vetera & in
 imperio consueta, nova vectigalia, porto-
 ria & exactiones, quocumque prætextu fie-
 ri possit, imponantur aut extorqueantur.

Et cum nihil iniqui petamus, Dominos
 nostros observantissimos rogamus, ut gra-
 tioso aliquo responso animi sui prompti-
 tudinem explicent, nos offerrentes, quo-
 ties commodum illis erit, unum atque al-
 terum

Januar.
 &
 Februar.
 Anno
 1647.

Januar.
&
Februar.
Anno
1647.

terum oretenus, declaratuos, & pluribus
circumstantiis de his collatum sermonem,
lubentes ad Dominos nostros honoran-
dos venturos, Quorum manemus, para-
tissimi

Datum Ulmæ 19. Febr. 1647.

J. U. Reuschenbergius.

J. Kitnerus.

H. B. Schefferus.

Quid posthac Regii Suecici Domini De-
putati replicaverint, & quæ ipsorum decla-
ratio, quousque etiam res cum particulari
hoc armistitio perducta fuerit, in fine Re-
lationis nostræ adhuc aliquid superadde-
mus. Jam verò, quæ mense Februario alibi
acciderint, paucis circumspiciemus; de for-
tunato successu armorum Wittebergico-
rum in Silesia & Bohemia, (quorum etiam
in principio mentionem iniecimus:) ini-
tium facturi.

*Fortunatus
successus ar-
morum Sue-
cicorum
ductore Do-
mino Gen.
Wittenber-
gio.*

Is cum 5. 15. Februarii ex statione pri-
maria Magno-Linitio, castra proferri ius-
sisset, & illa adhuc die cum exercitu Peters-
waldiam attigisset, certior factus est, quod
Dominus Comes à Monte-Cuculi, cum
suo corpore adhuc à tergo alpium, prope
Brunaviam delitescat, & omnium mini-
mum credat, Suecicos ad Peterswaldiam
cisalpes ob fauces perquam angustas, quæ

insu-

insuper, etiam incisus arboribus oppellula-
 tæ erant, perrupturos. Wittenbergicus igi-
 tar eadem adhuc nocte insistens, angustias
 montium perforare, & peditatu cum im-
 pedimentis Peterswaldiæ relictis, cum e-
 quitatu, sexto hujus, uno ante exortum diei
 bihorio, per reclusos anfractus, quæ equiti-
 tantum uni pervii erant, juga feliciter su-
 peravit.

At interim Comes Montecuculanus,
 non solum de suscepto Peterswaldiam iti-
 nere, sed etiam quod aditus patefacti, cer-
 tior redditus, ducentos circiter equos
 Neurodiam, anteriores acturos vigilias,
 præmisit, perquisitum, an omnis equitatus,
 an pars tantum trajecerit; cum legionibus
 autem ipse campum occupavit, impedi-
 mentis Politium relegatis. Intellecto ergo
 ex captivis, quas ex custodibus Neurodiæ
 consistentibus, interceperant statu ho-
 stium, Dominus Generalis rei armamenta-
 riæ præfectus, priora agmina, in eos invo-
 latum amandavit, quæ loco eos cedere
 compulerunt. Ex his Montecuculiani qua-
 tuor equites cœperunt, ex quibus Domi-
 nus Comes comperiit, quod non quidam
 tantum manipuli, sed totus equitatus in
 propinquo incubet; id quod causa fuit, ut
 deserto campo, desperato aufugio, pericu-

Februar.
Anno
1647.

lose subtraxerit. At cum Suecici transitura montium, non ita accelerare valerent, Cæsareani interim sat temporis lucrati sunt, bonam viæ partem anticipatum: Posteriora tamen eorum agmina, adhuc inter Brunaviam & Politium, cis sylvam, comprehensa & ex iis ducenti & forte plures capti sunt; quos inter erat unus equitum Magister, duo Vicarii, 4. signiferi, aliquot vigiliarum Magistri, & Corporales, exceptis, qui Orco submersi sunt.

Eadem adhuc vespera Suecici Cæsareanos Politium usque persecuti sunt, ubi posterior pars curruum, ad Dominos Generales pertinentium, & unâ Domini Comitum Montecuculani Cancellaria & supellex argentea pessumivit. At nocte ingravescente Suecici, plus ultra nō potuerunt, nisi quod ex oriente diluculo Nachotium festinauerint; sed cum & ibi nihil, nisi trepidum hostis effugium (Königsgretiam enim iter maturaverant:) animadverterent, pedem retulerunt.

Quamprimum ergo belli Silesiaci Præfectus Wittenbergius, peditatum & tormenta, ad Wartam fluvium collegisset, ditu in Silesiam adornato, in eam se peruenientem Johannis præcipitavit. Ubi occupata arce, omne frumentum istuc com-

por-

portandum locumque centum dimachiis ^{Februar.}
 defendendum commisit, & per Wei- ^{Anno}
 denam, Zigenhalsiam, Neustadium Po- ^{1647.}
 lonicum & Kropinum gradum promovit,
 ubi Odera trajecta ad Opelianam castra lo-
 cavit, fixa animo sententia, sese civitatem
 (quod Cæsareanum præsidium fovisset,
 quod ex vicinia sustentasset, quod ex prin-
 cipatu Opeliano & Ratiboriano, pro con-
 scribendis copiis aurum expressisset:) ha-
 stiliter aggressurum. At dato 17. 27. Febr.
 rei initio, ecce, Regis Poloniæ Majestas
 missis ad Dn. Præfectū belli literis, ad abdu-
 cendas Cæsaris copias unius octidui indu-
 cias rogavit: cum reddita Cæsaris resolu-
 tione certijam coordinati commissarii sint,
 præsidium aliò deducturi, quem locum
 Rex suo milite custodire velit; ita ut ob
 causam hanc V Vittenbergius impetum re-
 presserit: Interim tamen secum statuens,
 nihilominus cum exercitu in principatu
 illo pedem figere, tam diu mansurus, donec
 spontanea deductio Cæsareanorum cohorti-
 um præscripto tempore effectui mande-
 tur, quod nō fiat, vi armorum eos ad tra-
 dendum locum coacturus. De exitu suo
 loco plura.

Ingrediente Februario Gallicus Gene- ^{Civitas &}
 ralis Turrenius, copias suas Tubingæ ad- ^{arx Tubin-}
 movit, ^{gensis per}

Februar.
&
Martius.
Anno
1647.
*Gallos oc-
cupata.*

movit, & imperata deditioe minas addidit, nî pareant, vim experturos. Ideo cum sustinendo obsidio Bavarici sese impares agnoscerent, Ephorus civitatis petente Magistratu cum præsidariis arcem petiit, clavibus ad portas superiori oppidi præfecto traditis, qui eo ipso, cum Galli muralia in viridario admovere vellent, reſeratis portis, Vicarium Generalem Hoquincurtium, citra ullum detrimentum, intromisit. Quo factò, Galli arcem aggressi: at Bavarici, quorum circiter 20. fuerunt, graviter sese opposcentes, effulminando, & pilas igniarias efficiendo, civitatem non levi damno affecerunt, sed Galli omni terrore procul à se rejecto, acrius insistentes, tandem eò obsidionem deduxerunt, ut repetitis aliquot insultibus, actisque cuniculis 4. 14. Martii castellum, 50. ex suis deperditis, diruere- rint, turri arcis ad solum dejecta. Inde oblessi de deditioe transactionem pacti, Solis 7. 17. Martii demigrarunt; quorum partem dimidiam Galli suis signis subjecerunt, reliquos, circiter sexaginta adhuc, Hailbronnæ conductos, dimiserunt.

*Ars ad
Sancti Mō-
rem, & op-
pidum Ba-
lingia eodē*

Idem etiam paucis ante diebus arci ad S. Montem dictæ, & oppido Balingiæ, tribus miliaribus à Tubinga distitis, evenit, quarum illa deditioe pacta est; hæc, duo-

detti-

detriginta diebus machinis conquassata ^{Februar.}
 fuit, defensoribus ejus ad demigrandum [&]
 vi adactis: quinquaginta etiam equites Bis- ^{Martius,}
 fingeriani & centum sclopetarii capti sunt, ^{Anno}
 quos in Gallorum partes secedere oportuit; ^{1647.}
 prædam quam fecerunt, taceo. ^{modo occupa-}

His ita gestis, Dominus Generalis Königs- ^{pate.}
 marccius circiter 2500. equitibus & 4. ^{Cattorum}
 legionibus pedestribus, 200. curribus, & ^{Darmsta-}
 19. tormentis, à primario exercitu digres- ^{tinorum}
 sus, 14. Februarii, Mergenthemium adpu- ^{præsidium}
 lit, animi gerens, Werthemium tendere, ^{in Salmün-}
 posteaque Mœnum transfretare. ^{ster obrui-}
 Quod ^{tur.}
 cum fama loquax ad Cæsareanum & Bava-
 ricum exercitus detulisset, è vestigio Do-
 minus Generalis à VVerth, cum aliquot
 millibus, ejus stitum viam, dimissus est. Sed
 cum de hoc ex interceptis à quodam cur-
 fore literis nuncium ad Dominum Königs-
 marccium allatum fuisset, illa adhuc nocte
 circa horam duodecimam Marienhemio
 abiens, summa celeritate iter Hallam Sue-
 vorum versus, & Schorndorffium ingressus
 est, uxore, curribus, & 4. legionibus pede-
 stribus, machinisque Mergenthemii reli-
 ctis. Fuit quidem hæc Suevicorum perse-
 cutio neutri parti absque damno, sed cum
 nihil, quod alicujus ponderis existiman-
 dum, effectum fuerit, abs re fore reor, mal-

450
Februar.
&
Martius.
Anno
1647.

tis sesquipedalibus lectorem enecare. Hoc addo, quod Dominus Königsmarccius, machinis, curribusque, Mergenthemio ad se recollectis, VVerthemium repetierit, nec ita procul eo, Mœnum trajecerit, & Darmstadianum præsidium in Salismonasterio inceserit, videlicet quatuor cohortes ex legione equestri Junioris Nassovii, quas S. C. Majestas cū aliis legionibus, Domini Georgii Landgravii Hassiæ Celsitudini in subsidium miserat, ex quibus 200. gregarii in Suecorum verba jurare adegit protribuno, Domino Comite Sigfrido Hohenloio, cum aliis Officiariis in captivitatem abductis.

*Kirchhaina
per Königs-
marccianos
denuò de-
victa.*

Inde iter Kirchhainam versus susceptum (quod oppidulum ex postrema occupatione, mense Septembri, anni, qui effluxit, 1646. facta, ut in relatione præcedente pag. 9. dictum, Principis Darmstadini celsitudo, centenis aliquot militibus confirmaverat.) Cum ergo Dominus Gen. Vicarius Königsmarccius, & Dominus Gen. vigiliarum Præfectus Geisius, sedecim machinis, & 4. mortariis dimidium ferè diem oppidum impeterent, & intra quadrihorium muros immane quantum disiecissent, Cattorum superiorum præsidium clementiæ, inclementiæve victoris, sese submittere

mittere compellum fuit. Trecenti numero
 erant: eos Suecici & Catti Inferiores divi-
 sos legionibus suis subjecerunt, quod etiam
 cum captis officiariis & re tormentaria fa-
 ctum; ex quibus, qui Kirchhainæ guberna-
 culum tenuit, Dn. Protribunus Pflugius
 4. 14. Maji subito extremum diem clausit.
 Alioquin capti sunt unus Protribunus ex
 iis qui machinas tractant, 4. Capitanei, 4.
 Locumtenentes, tredecim Signiferi, & a-
 liquot officarii inferiores, parva quoque
 quaedam tormenta & mortaria: locoque
 sub Protribuno Stockhemio, 500. militum
 Castellens. præsi diū impositum fuit. Quem
 sæpe nominavimus, Dominus Königsmar-
 cius, postmodum Castellam profectus, ibi
 grato resonantium tormētorum murmure
 honoratus, postea in arce hospitio exce-
 ptus, tum venusto equo, curruve camerato
 vonatus, & tandem 6. 16. Martii magnifi-
 co cōductu securus dimissus fuit. Machinæ
 castellis navibus impositæ, visurus avectæ
 copiis, quas secum habuit, in hospitiiis, quæ
 ipsis assignata, relictis.

Lunæ 15. 2. Februarii, celsissimo Prin-
 cipe Domino Friderico Landgravio, ex ar-
 ce Castellis, in aulam Nassoviam ingresso,
 ante meridiem & ante prandium, erepta in
 conflictu Nördlingensi & Franckenber-
 genfi,

Februar.
 &
 Martius.
 Anno
 1647.

32. signa ca-
 questria
 Domina
 Lādgravia
 Hassia præ-
 sentata.

Februar.
&
Martius.
Anno
1647.

*Nideccia
Castellum,
per Catos
Inferiores
occupata.*

gens, tum etiam Alsfeldiæ occupata signa equestria & vexilla, à Domino Gen. vigiliarum Præfecto Geissio, Dominae Regenti & Tutrici, impræsentiarum Illustrissimorum Principum, Hermanni Friderici & Ernesti Hassiæ, Landgraviorum, exhibita fuerunt: quorum numerus ad 32. ascendit.

Eo etiam tempore munitissima arx Nideccia, in Ducatu Juliacensi, non ita procul Durio sita (in qua Palatinus Neoburgicus præsidium habuit, & Archiepiscopatus Coloniensi conspicillum imposuit) per Hassiacos ex Novécio, dolo occupata fuit. Cùm ergo, puera scente Martio, copiæ eæ, ductore Rabenhauptio, munimento huic & quid præterea loci necessitas flagitare videbatur, prospecturi essent, id Cæsareani positis insidiis averruncârunt; ita ut ex orto conflictu Cattorum 40. mortem obierint, ac nonnulli capti fuerint. Putaverant Binsfeldiam eodem modo obruere, sed cum Cæsareani adessent, 30. ex suis deperditis, quos Cæsareani interceperunt, re infecta discedere eos oportuit. Ubi & hoc adjungamus, quod mense Februario Serenis, Brandenb. Electoris Superior Camera-rits, Dominus à Burgsdorff, ceu Legatus, 38. Personarum comitatus Aiportii, Düsseldorfium magnificè intraverit, & à Prin-
cipo

cipe Palatino Neuburgensi in occursum Februar.
 ejus ablegato pileto proprio, splendido &
 que equitatu exceptus fuerit, inde nova Martius.
 spes oboriens, animos refricuit, fore, ut in Anno
 ter serenissimum Electorem, celsissimum- 1647.
 que Principem Palatinum, amicabilis com-
 positio iniretur, quod nos tempus, rerum
 magistro, committimus.

Porro, nec omittendum erit, 19. 29. Febr.
 Regium Copenhagiæ in Dania arma-
 mentarium, ex otro per incuriam famulo-
 rum pyrobolariorum incendio deflagasse,
 ubi plus quam pro quindecim mille viris
 arma tam superiora quam inferiora pluri-
 masq; pretiosas raritates excrescens flam-
 ma absumpsit.

Damnum censetur excessisse tonnam au-
 ri: Deo tamen protectore & superbien-
 tium gnava opera, inferior ejus pars, quæ
 fornicato opere constructa, & in qua gra-
 viores machinæ, pulvisque nitratus reposi-
 tæ fuere (aliquot centenae tonnas fuisse di-
 cunt:) periculo erepta est: etsi principiò sæ-
 vius sæviante æolo, non solum Bursa Re-
 gisque Palatium, sed & tota civitas, regni
 sedes & metropolis, in summo discrimi-
 ne hæserit. Nec ipse sibi Rex pepercit, sed
 cum superior pars altū colluceret, in partē
 inferiorem sese contulit, nec perterritus,
 quòd

Februar. quòd fornices ex cadentibus lacunaribus
 & **Martius.** perfractę fuerint, ita ut proximè eum flam-
Anno ma demitteret, loco tamen cedere nullus
1647. voluit, sed, qui adèrant, ad suppressendum
 ipse exhortatus est. Cùm ergo præter ple-
 rorumque opinionem summo infortunio,
 divina fortuna fovisset, Majestas sua, poste-
 ro die per omnes Ecclesias gratiarum a-
 ctionem, Deo Servatori decrevit Tribu-
 nus Sternicke, cui cura & inspectio arma-
 mentarii commissa, in carcerem quidem
 abduci jussus, & circa ingravescentem
 Martium Copenhagæ fori militaris
 quæstionibus subjectus fuit; sed quem Re-
 gii Commissarii innocentem pronuncia-
 runt, nec solum in pristinum officium re-
 stituerunt, sed publicè etiam deprecati
 sunt, ne gravius accipiat, quod carcerem
 ferre debuerit, cum regio id fervore profe-
 ctum sit. Majestas sua armamentarium ex-
 templò reparandum curavit. &, ut ad nos
 pervenit, ex metallifodinis, in Norvegia
 repertis, erutoque inde auro scrutatos si-
 gnari mandavit, cum inscriptione: Hac &
 illac, Germanicè: **Herumb vnd wider hero-
 umb.** Cui symbolo plerique varias signifi-
 cationes addiderunt.

*Archidux
 Leopoldus*

Serenissimus Archidux Leop. Wil-
 helmus 27. Febr. Styl. Greg. Vienna Passa-
 vium

vium profectus, ibi pro suscipiendo in Belgium itinere necessaria adornavit: cui à Regis Catholici Majestate (quam inter filiam Cæsaris contractæ nuptiæ, 15. Januar. Anno Madritii publicatæ:) administratio illarum provinciarum commissa, & quoquo mens se quindecim millia coronatorum constituta fuerunt.

Februar.

&

Martius.

Anno

1647.

*Wilhelmus**gubernacula**la Belgij Hi-**spanici sus-**cepit.*

Bruxellis interim præparatoria procedebant, ad eum festis solennitatibus excipiendum: quem in finem Dominus Gen. Piccolominius magno comitatu superbus, obviam sese provolvit, & una cum comite Buquoio adscitis 200. cataphractis (qui omnes vestitu prætorio egregiè exornati:) Sereniss. Archiduci conductum præstare in mandatis habuerunt. Cujus fortasse introitum in posterum pluribus describemus. Dux ducum, serenitatis suæ consilia feliciter secundet, ut sub eius imperio nobilissimum Belgium pace & concordia coalescat, vivat, floreat.

Quantum Italicæ literæ inferunt, Christianorum triremes Melitenses, post ingressum novi anni, terra marive re fortiter egerunt. Earum, quæ antiquiores, 7. Febr. datæ, memorant Zaranum in Dalmatia præsidium, facto excursu, locum quendam Turcicum irrumperere voluisse: Quod cum

*Turca à**Christianis**malè affe-**cti.*

infi-

Februar. infideles compertum haberent, campum
 & præoccupasse, ubi confertis armis gravi
 Martius. prælio concertatum fuerit, in quo tandem
 Anno Turcæ centum ex suis amissis recesserint:
 1647. Sed tamen ex Venetis interfectis. Com-
 memorant etiam præsidium agendis de-
 cursionibus egressum, pagum aliquem, Su-
 laviam dictum, quatuor milliaribus Zarâ
 distantem, in qua multi Turcæ, multæque
 earum mulieres fuerint, eò quod Christia-
 nos, ut eorum pro redonanda vita, gratiam
 implorarent, indignos judicarent, subje-
 ctis flammis exussisse. Aliæ Romæ, 8. Febr.
 datæ, recensent, perlatum ex Sicilia esse,
 Melitensium triremes 16. Jan. Gr. Turca-
 rum navigia ex Barbaria cum copiis & com-
 meatu Caneam velificatura, apud Pro-
 montorium Passarium aggressos, unum ex
 his cum 36. machinis cœpisse, alterum
 Ponto immeruisse, tertium arrepta fuga
 manus illorum aliò evasisse; sed tamen
 Præfectum earum triremium, Dominum
 Clementis. S. Eugenio, quinque glandibus
 Sclopetariis, cum ducentis, tam equitibus,
 quam militibus, generosam animam Deo
 Creatori reddidisse, ex Turcis 250. truci-
 dados, 45. Christiana mancipia in liberta-
 tem vindicata esse: Id quod aliud scriptum
 2, 12. Febr. exaratum confirmat, addito,
 quod

quod cadavere Præfecti adpellente, omnis Februar.
navium numerus gravi machinarum mur- &
mure sepulchralem ipsi honorem præsti- Martius.
terit, classisq; Rhodiæ Præfecturam Priori Anno
Tholosano commissa fuerit. 8. Febr. Vene- 1647.
tiis scribitur, cum Dn. Camillus Gonzaga
discessum petierit, ejus occupatum locū A-
gidiū de Hafa, cum phalangibus suis Cor-
cyra Cretam transfretasse: Præterea Zara-
nos excursu quodā 70. Turcas interfecit-
se, 300. captis & vulneratis; tum etiam
1400. pecudes, & 30. præcipuorum Ma-
hometistarum resecta capita Zaram retu-
lisse.

È diverso, ex Venetis 17. & inter eos
Gallicum Tribunum Badiam ad superos
rediisse. Decima quinta Martii denuò Ve-
netiis scribebatur, cum Turcarum tyran-
nus, nullam cum Venetorum Rep. pacem
inire velit, nisi Cretæ regnum cedant; Ge-
nuensium Remp. iis auxiliare subsidium
duarum suo robore instructarum Galleo-
num & decem triremium, absque Veneto-
rum sumptibus: & adhuc decem alios, i-
psorum sumptibus militaturos, submissis-
se: millionem auri mutuo quoque daturos
pollicitos, s. in centena pensitandum, si
titulum sibi, Suxæ Celsitudinis, daturi sint;
quo ita accepto, Venetos maluisse con-
cesso

Februar.
&
Martius.
Anno
1647.

cesso celeberrimæ Reip. legitimo honore,
periculum redimere, quam perenni detri-
mento ignobilem pacem contumeliosè
fufcipere. Hinc Venetos vere novo clas-
sem 100. triremium, 7. Galeazarum & 60.
Galleonum in altum educturos, plerique
autumant. De dato 8. & 25. Martii itidem
Venetiis relatum, quod præterita Lunæ,
navis quædam Alexandrina, literas Cretâ
Venetias attulerit, annūciantes, postquam
classis Veneta ad Chium Insulam duas
Turcicas phaselos 300000. Realibus in
parata pecunia, multisque pannis lineis &
laneis, multis etiam victualibus, pro Classe
Mahometana comportatis, onustas, ab-
duxit (ubi simul apud Nigrum Pontem,
vehemens tempeftas classem Turcicam
toto biduo graviter paffaverit) Veneti bel-
li Præfectum Dn. Thomam Morefinum,
aliquot fortè milliaria cum fuis celocibus
à classe digreffum, ftatim à 44. infidelium
triremibus circumdatum effe, ita, ut acerri-
mo conflictu exoriente, qui 7. horas uf-
que extractus fuerit, antedictus Morefinus
ex glande fclopete bellacem animam ex-
spiraverit. Nec procul etiam abfuiffe, quin
Impii navem prætoriam occupaverint,
nifi pia & vigili Christianorum industria,
tresex eorum triremibus, in ejus fubfi-
dium

dium adproperassent, quæ tormentorum **Februar.**
 fulminibus iurcarum ordines ita disiece- &
 rint, ut 4. collisæ, & duæ submersæ fuerint, **Martius.**
 ubi simul etiam Bassa eorum Acheronta **Anno**
 perierit, mille ex suis in captivitate post se **1647.**
 relictis. Aliis denuò literis Venetiis **29.**
 Martii perscriptis allatum, præterita Mer-
 curii, Zara annunciatum, belli Venetiani
 Præfectum, Dominum Fosolum, com-
 perto, quod Turcarum aliquibus copiis,
 multoq; remum apparatu, circa Zemoni-
 chum, sese colligerent, 4000. peditibus,
 600. equitibus, & 3. machinis celeriter i-
 storum advocasse, cujus priora agmina
 suburbium suæ potestatis fecerint, quot-
 quot in armis fuerint, trucidaverint; tum
 tormentis arcem insectatum, facili eam
 negotio expugnatam sibi subjecisse, 160.
 militibus, qui istuc refugerant, unâ cum
 quodam Sangiaco captis, & adducendos
 remos condemnatis.

Deinde etiam ingentem numerum pe-
 coris, plurimum munitionis recuperasse,
 atque in propinquo adjacentia oppida,
 Polzanum, & Islanum expugnasse, castris
 suis Novigradum translatis; ea frerum fi-
 ducia, id brevi etiam suæ potestatis factu-
 rum. De quo in posterum plura.

Februar.

&

Martius.

Anno

1647.

Gesta in Italia, Gallia, Hispania & Catalonia.

Romæ & in statu Ecclesiastico, consentiente Pontifice mille milites, pro inclyta Venetorum Rep. conscripti sunt. Ibi Cardinalis Pamphilius. cum Principis Rossani filia, celeberrima Aldobrandinorum prolapia prognata, Principis Burgesii, fato functi, relicta vidua, matrimonium iniens, perfecto contractu, Lunæ 11. 21. Jan. Cardinalitium Galerum, reddidit: Laboriosam eminentissimorum Dominorum Cardinalium vitam, dulciori consortio dignam, non immeritò judicans. Qua resignatione sexta sedes Cardinalitia, primatus quoque Capuanus Ordinis Rhodisiorum, tum etiam Legatio Aviniensis in Gallia, nec non diversæ Abbatia, tum quoque multi reditus Ecclesiastici, quos eminentiss. Dn. Cardinalis possederat, vacarunt; ejusque in locum ad subscribendas summi Pontificis literas Cardinalis Lantius surrogatus fuit. Solis, 10. Febr. styl. n. Dn. Cardinalis Camillus Pamphilius Olympiæ Aldobrandinæ, Principi Rossanæ, per subdelegatum Pontificis in maritum festo actu datus fuit: Cui Princeps Piombinus, aliique, etiam Ducis Parmensis Legatus interfuere. Ex quibus postremus novę nuptę nomine Domini Legatis egregium Adamantem exhibuit, quæ ipsa vicissim virum magno aliquo

liquo munere oneravit. Sic etiam Solis 4. Februar^o
 Martii styl n. Dux Ornanus Principis Car- &
 bonani filiam Astinutiam Columniam, in Martius^o
 uxorem duxit. Anno

1647.

Parthenopoli effervescebant interea
 belli præparatoria; cui expeditioni ipse re-
 gis Vicarius præstò esse volebat: firmus a-
 nimi, ad recuperandum Plumbinum &
 Portum Longum vim extremam adhibi-
 turum. Ideoque Hispanorum triremes ex
 Portu Herculis sex Actuarios, vario rerum
 bellicarum apparatu onustas, ea versum
 loca, vela laxaturas, abduxerunt. Dum er-
 gò Dominus Prorex regiam classem, ex
 Hispania, ductore Johanne Austriaco, al-
 tum experturam, expectat: Gallinon mi-
 nus ingentem Tolone, aliisque locis, tam
 contra Italiam, quam Cataloniam, appa-
 ratum conferruminarunt. Hinc metus
 subortus, adolescente ætate, duo hæc re-
 gna funesto bello implicatum iri; de quo in
 posterum uberius dicendi locum lector
 non denegabit.

Antequam autem concludam, referen- *Armistitiū*
 dum & illud erit; Quod 13. 23. Maij, Con. *inter coro-*
 siliarius bellicus Kitnerus, Electoris Bava- *nas Suecia*
 riæ Ratificatoriã pactiois super armistitio *Galliaq; &*
 conciliatæ, adferens, Ulmam pervenerit: *Electores*
 cuius vigore Coronæ Sueciæ Electori Ba- *Bavaricū*
 variæ *& Colo-*
niensem

K 3

varia

Februar.
&
Martius.
Anno
1647.

variæ civitates Rainam, Donawerdam, Lauingiam, Wembdingiam, Heidenhemiam, & Visenstegiam cedere: è diverso Augusta & Ulma neutrales permanere debuerunt. Et quod Memmingæ & Uberlingæ Suecicum, Friburgo, Offenburgo & Heilbronnæ Gallicum præsidium recipiendum sit. De robore & efficacia horum pactorum & quid ulterius inde eventurum sit, nihil certi scribi potest, nisi quod ex Suevia sub dato 4. Aprilis referunt; Omnes Bavaricas legiones equestres & pedestres, in superiori & inferiori Bavaria & in Salisburgensi districtum longè dilatatas, in stativa distribui: tum, quod vigore Armistitii, Electorè Bavarix, omnes ipsius non proprias, & hætenus possessas civitates & castella, Augustam puta, Memmingam, Uberlingam, Friburgum, Offenburgam, Hailbronnæ, itemq; castella Hohenaschbergiam, Hohen-Tübingam, Hohen-Auracum, Hohen-Zollerium, Schiltacum, Hornbergiam, &c. tradere, & præsidia sua inde educere oporteat, jamque sex legiones pedestres & equestres, partim dimisisse, partim ad alia signa transtulisse, quibus aliæ plures secururæ sint. Inde Bavaricum bellum confectum esse, nec expeditionem aliquam ulteriorem expectandam, cum commutatio

tio præsidiorum inter Electorem Bavari-
 cum & coronas confœderatas hinc inde Anno
 facta sit. Dicunt præterea 30. Martii circi-
 ter 400. Suecos Memmingã, (ubi 3. hujus
 Ephorus Tribunus Edelstedius extremum
 diem obiit, lociq; custodia Tribuno Win-
 terscheidio commissa fuit) intra se, è con-
 trario Electorales Bavaricos demigrasse,
 nec non munimentis Raina ad Lycum, &
 Dona werdæ, loco abeuntium Suecicorû,
 Electorales Bavaricos impositos. Nec mi-
 nus Bavaricos Uberlingia, & Heilbronna
 excessisse, eorumque locum, in hoc Gallos
 (qui præter Lauingiam etiã Dinckelspiliam
 & Rotenburgam milite suo communita
 tenent,) in illa Suecicos sub Tribuno
 Volckmanno occupasse, qui oppida à su-
 periori lacus Brigantini parte adsita, sub
 sua custodia conservant. Referunt porrò
 Gen. Majorem Duclassium, qui jam equi-
 tatum, loco Domini Gen. M. Königsmar-
 cii, imperio temperat. Cum is proprio cor-
 pori suo tanquam Generalis præsit) in vica-
 rium Generalem totius Sueviæ denomi-
 natum fuisse. Ulmam & Augustam Neu-
 trales fore, & in hoc Bavaricum præsidium
 tamdiu commoraturum donec Ratificatio
 ab utraque corona præstò sit. Baronatum
 Heidhenhemium, in Domini Marecalli

Martius.
Anno
1647.

Turenii protectione permansurum, quo-
usque pax plenariè cōclusa fuerit: Omnia-
que præterea loca Württembergica à Bava-
ricis restitutum iri. Cæsaris autem Legatos,
quorum propositioni sententia parum
grata data sit, (etiam si Cæsareus Consi-
liarius aulicus Dominus Justus Gebhardus,
23. Martii St. v. & 1. Aprilis St. n. in meri-
diana statione Sefflingia, apud Dominum
Generalem Wrangelium audientiam ha-
buerit:) ad abitum secundo flumine facien-
dum, sese expediisse.

Tandem exercitus Suecicus 3. Aprilis
St. N. quàm proximè Ulmam transiens,
Elbangan processit, ulterius Nordlingiam
profecturus, Lustratum ibi copias, & ut se-
se cum Domino Generali Lövvenhauptio
(caput Leonis latinè sonat) tribus milli-
bus jungat, & Franconiam incessat.

Erant etiam Galli circum Kirchhainiam
collecti: Quò se tertia, quam dixi, Aprilis,
Dominus Gen. Maior Reinoldus Rosa-
tus, & Dominus Gen. Schmidbergius, ab
Electore Bavariæ exoluto lytro libertati
restituti, contulerunt.

Quæ superficialis quædam narratio præ-
sētis relationis est: quã ut benevolus lector
æqui bonique consulat, maiorem in mo-
dum, postulamus, spe freti, si in uno atque
altero

altero fortè nævulus aliquis, rerum tot va-
 riarum semestri aliquod compendium
 festinantibus præter propositum obrepse-
 rit, pro sua prudentia & dexteritate excu-
 saturum: quem si quis significabit, ne in cu-
 iuspiam vel præiudicium, vel contumeliam
 vergat, omni officio correctu pollicemur.
 Magnus terrigenum Præses, belli pacit-
 que arbiter, det, iuvet, sospitet, ut ros Mar-
 te relegato, Bellona eiecta, Pax & iu-
 stitia, cuius iam certa magnaque spes efful-
 get, feliciter redeant, ut Concordia Fides-
 que invicem coalescant, ut Astræa ferris
 proscripta, cœlo sese demittat ab alto. Ut
 & Deus nobis benefaciat, ut humus efflo-
 rescat. Quem, ingentibus actis gra-
 tiiis, perennni maclabi-
 mus elogio.

Martius.

Anno

1647.

F I N I S.

K

S

Memo-



Memorabilium,

Quæ in hoc secundo Tomi
XXVI. libro commemorantur,
Index.

A.

- A** Lsfeldia Cassellanis deditur, 54
Archidux Leopoldus Guilhelmus gu-
bernacula Belgij Hispanici suscipit, 142
Armamentarium regium Hafnia incendio
deflagrat, 145
Armistitium Monasteriense, 114. & seqq.
Armistitium inter Coronas, Suecia, Gallia-
que, & Electores, Bavaricum & Colonien-
sem, 150. & seqq.
Arx ad Sanctum Montem, & oppidum Ba-
lingia, occupantur, 137
Augusta impetita hostilitates reprimat, 10
tabula æri incisæ explicatio, 24. & 25

B.

- B** Arbarinorum negotium componitur Ro-
ma, 51
Belli Creensis status, 68
Dalmatici progressus, 72
Polonici contra Turcas suscepti succes-
sus, 73
Bolcken-

I N D E X.

Bolckenhemium Wittenbergicis deditur, 34

C.

Cæsar Regis Galliarum & Imperatoris
Turcici Oratores audit, 113

Cæsareorum, Bavaricorum, Sæcicorum, Gal-
licorumq; exercituum in Bavaria ac Sue-
via status, 55. & seqq.

Carmelitarum monasterium apud Augusta-
nos funesto depascitur incendio, 93

Cattorum Darmstatinorum presidium in Sal-
münster obruitur, 137

Civitas & Arx Tubingensis per Gallos expu-
gnata, 135

Comitia Polonica Varsavia celebrata, 74. &
seqq.

Comitiorum Hungaricorum progressus, 43

D.

Damna per Königsmarcianos illata, 10

Donauvertha deseritur & recupera-
tur, 88

Dunkerka à Gallis capta, 25

E.

Elector Brandenburgicus in Hanoveram
splendidè introducitur, 63. 64

Hagam Comititis venit, 84

cum Auriaci filia, Principe Ludovica,
matrimonium contrahit, 85

Ejus de Principe Neoburgico petita, 86

Eusker-

I N D E X.

Euskircha & Heinsburgum deditioem paciscuntur, 41

G.

G *ustavus Gustavsonius in ordinem Comitum elevatur,* 32

H.

H *Assiaci superiores notabili strage affecti,* 81

Hafelsuera injectis ignibus devenustatur, 60

Helvetij de status sui conservatione solliciti, 103

Deputatos suos ad Suecici exercitus Imperatorem dimittunt, 104

Hispaniarum Regis filius unigenitus moritur Sagunti, 63

Hispani Leridam seu Ilerdam ab obsidione liberant, 64. & seqq.

I.

I *ncendium damnosum Wallerstorffii,* 63

K.

K *irchbaina per Königsmarcianos denuò devicta,* 138

Königsmarciani incurruntur Campidoni, 92

L.

L *indavia frustra obsessa,* 98. & seqq.

99

Mena-

INDEX.

M.

M Enavia lacus Podamici insula expugnatur, 100

Mindelhemia, arx, Bavaricis excutitur, 58

N.

N iteccia castellum per Catos inferiores expugnatur, 140

P.

P Adebornam Cesarei recipiunt, 87

Palatinus Hungariae electus, 44

Parmæ Dux moritur, & Cardinalis Honorinus, 51

Plumbinum Gallis subjacet, 54

Portenta passim observata, 105

Portus Lungone in deditioem venit, 52

Propositio Statibus Hungariae ventilanda Cesaris nomine oblata, 44

R.

R Aina per Suecos op. & expugnata, 3
transactio de super confecta, 5. & seqq.

apparatus & commeatus tum tormentarii tum annonarii inibi reperti, 9. & 10

Regni Sueciae Legatus Extraordinarius Lutetiae magno honore affectus 30

Rerum Romæ, & alibi in Italia gestarum succincta narratio, 51

Reo

INDEX.

<i>Res in Italia gesta,</i>	107. 148
<i>In Gallia, Hispania, Catalonia,</i>	148
<i>Retimium per Turcas expugnatur,</i>	69
<i>Rhodiorum triremes feliciter pugnant,</i>	70
S.	
S igna equestria 32. Domina Landgravia Hassia presentata,	139
<i>Sorbonistæ librum magni momenti typis ex- scribi faciunt,</i>	52
<i>Status bellicus per Silesiam ejusque viciniam, 33. & seqq.</i>	
<i>Sueci Lyco moventes, per Sueviam ad Acro- nium usque lacum percurrunt,</i>	93
<i>Faucibus ad Brigantum potiuntur,</i>	94
<i>Brigantum ipsam & arcem Pfannen- berg deditas accipiunt</i>	95
<i>Lucrum quod inde ad victores transit,</i>	97
<i>Sueci vias depopulando amplam prædam ac- quirunt,</i>	113
<i>Suecorum Olmutiensium fortunatus excur- sus,</i>	38
T.	
T roppavia nullo successu tentata,	61
T urca à Christianis malè affecti,	143
V.	
<i>Venlona probè se defendit,</i>	42
	<i>Weissen-</i>

INDEX.

W.


W Eissenburgum in deditonem compelli-
tur, 509


Wittenbergius in Silesia & Bohemia non te-
mnendos progressus facit, 59. 132. & seqq.


Z.

Z Ontium ab Hassiacis incassum circum-
fessa. 39

F I N I S.









Eigentliche Abbildung der
Sahr: Herrn Generalen, vnd de
dirten völkern beyder Armee Blockqu
ord übergeben: Statt Weissenburg
Januarh Anno i


Eigentliche Abbildung der von Kayß: vnd Chur:
 Bahr: Herrn Generalen, vnd dero bey sich habenden Commen-
 dirten völcfern beyder Armee Blockquirt, beschossen vnd entlich mit Acc-
 ord übergeben: Statt Weissenburg am Morgau, vom 3. bis 23^{ten}
 January Anno 1647.




- A. Kirch S. Andre.
- B. Rathaus.
- C. Spittal thurn.
- D. Oberthor.
- E. Oellingertor.
- F. Frauenthor.
- G. Steinhütten.
- H. Schießmauer.
- I. Prefs über den See
vnd Eys.
- K. Stück so Glüende
Kugel geführt.
- L. Lauffgräben bey
den halben Carthau-
en vnd andern Stücken.
- M. Feuer mörser.
- N. Alt Apodecken vnd
andere heuser.

HAGENAV
wiesen.







W 5212

(26/28)

ULB Halle

3


007 103 360





101
27





B.I.G.

Farbkarte #13



II GALLO-BELGICI
RDO ARTHUSIO SUC-
CENTURIATI,

Sive

V M I N

ET BELGIO PO-
HISPANIA QUOQUE,
IA, GERMANIA, UNGARIA,
cis, à nundinis Francofurtensibus au-
ni 1646. usq; ad vernaes anni 1647.
otissimùm gestarum,

ICÆ NARRATIONIS
continuatæ,

VIGESIMI SEXTI
ER SECUNDUS,

Auctore

RGIO SCHLEDERO, Ratisponensi.
C. Majest. Privilegio Speciali.



ANCOFURTI,
Caradum Sigismundi Latomi, Anno 1647.